ORDO IUDICIALIS ALIJS RELIGIOSIS HISPANICÈ...

Emanuele Del Pozzo

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
23 H
M 28
13-3.I.5

AVI CIH7
3a

ORDO IVDICIALIS

Alijs Religioſis Hiſpanicè exhibitus

Nunc latinè Clericis Regularibus.

Compendioſius, & ad formam ipſorum Conſtitutionum expoſitus

Addito Proceſſu formato ad faciliorem directionem Prælatorum.

Non tantum Clericorum Reg. quam omnium Religioſorum

Studio

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

D. Emmanuelis de Puteo Mediolanenſis Clericorum Regular. Conſultoris.

Romæ, Typis Ignatij de Lazaris. 1678.

Superiorum Permiſſu.

Reuerendiſſ. in Chriſto Patri

D. PLACIDO VICECOMITI

Præpoſito Generali Clericorum Regularium.

D. Emanuel de Puteo Cler. Reg.

Virgam vigilantem, & Ollam ſuccenſam olìm vidit Propheta, *Ierem. cap.* 1. nec dubium eſt Reuerendiſſime Pater, quin in virga guber-

nationem, & ſubditorum directionem oſtenderit, de qua prius dixerat Regius Pſaltes. Virga directionis, virga regni tui: poſtulat nimirum talis virga oculum vigilantem, vt videat ſubditorum errata, & illis Ollam ſuccenſam minetur, pænam ſcilicet, vt errata emendet, & impoſterum coerceat: Ergo quod tibi Reuerendiſſime Pater fuerit cælitus talis virga commiſſa, & votorum applauſus, & experientia vigilantiæ tuæ non dubiè fatetur; nec fefellit votorum opinio, praxis enim, quæ tibi olìm in Conciſtorio Archiepiſco-

pi

pi Pragenſis inofenſæ iuſti-
tiæ laudem promeruit, in
Clericorum Regularium
gubernio promiſit, & adim-
plet. Cæterum via, qua
virga & ſi oculata ad Ollam
progrediatur, & in Ollam
pænarum errantes purget,
vt cæteros coerceat, adhuc
fuit inuia, & multis erro-
ribus expoſita; Patres enim,
qui noſtris Clericis pænas
pro erroribus legibus præ-
ſcripſere, leuiori flamma
purganda adiudicarunt,
quippè, qui in ſuis grauia
crimina ſuſpecta non ha-
buerunt; quia tamen inui-
dia Diabuli adhùc in dies,
quod timeantur, aut quod

ſuſpecta habeantur oſtendit; qua via iudiciali ordine progrediendum, vt in Olla pænarum purgentur, aliorum Religioſorum experientia calcatam exhibeo, & tibi Reuerendiſſimo Patri oſtendo, non quia calches (Placidus enim es, & ſpero culpam deffuturam), ſed, vt ſubditi tui, ſcientes quia via eſt ad Ollam magis timeant ne mitantur in ignem, & timentes a grauioribus culpis ſe abſtineant; Ergò erit iſte libellus ſub tua luce oſtenſus, velùt fulgura illa, quibus Deus Hebræis *Exod. cap.* in ſina legem dedit, non vt

il-

illos occideret, ſed vt ad legis obſeruantiam prouocaret. Excipe igitur gratiã, qua ſoles opus, & ſi paruum, ad maximum tamen Religionis noſtræ vtilitatem exoptatum, tuo nomine, & auctoritate magnum, & gratum exhibe, Vale.

BENEVOLE LECTOR.

SÆpiſſimè mei cordis dolore a nonnullis noſtri ordinis, & Religioſæ obſeruantiæ optimè afectis, audiui, obſeruantiam ipſam in dies periculum ſubire, vel quia, delinquentium errata pernicioſo caritatis velo ſuperioribus ocultentur, vel quia ea ipſa, quæ infamiæ luce deteguntur, inordinato iudicio, tanquam non benè probata, aùt planè iniudicata obliterentur, aùt alienæ innocentiæ veſte obtecta, tanquam abſoluta, remaneant impunita, ſemper tamen, &

bo-

bonorum Religioſorum ſcandalo, & maiori delinquentium audacia: ita vt optimè dixerit, S. Ambroſius tom. 1. Apolog. poſter. Dauid. Sæpè in iudicando, maius peccatum Iudicij eſt, quam peccatum ipſius, de quo fuerit iudicatum: Hoc ergò non ſine animi dolore aduertens, etiam in ſua Diſcalceatorum S. Franciſci Prouincia Veteris Caſtellæ Frater Martinus a S. Ioſeph, librum ſibi compoſuit hyſpanico idiomatè cui titulus, Epitome del Orden Iudicial Religioſo. *vt quia ſæpiſſimè ad Prouinciarum ſui ordinis adminiſtrationem erat adſitus, velùt directo-*

rium

rium ad benè adminiſtrandam iuſtitiam ſibi inſeruiret; quem legens Reuerendiſſ. P. Frater Ioannes Baptiſta Campagna totius Seraphici Ordinis Miniſter Generalis non ſolum approbauit, ſed & dignum exiſtimans, quod omnium Prælatorum in Religioſorum iudicio, foret regula, typis mandari præcepit. Hunc, & ego inter ſcelectos noſtri celeberimi Patris D. Antonini Dianæ libros fortuitò aduertens, & legens, dum ſimile opus, zelo religioſæ iuſtitiæ in ordine iudiciali, componere cogitabam, diuinam admirans prouidentiam, illum tanquam, abſo-

lu-

lutiſſimum in propoſito labore, mihi delegi. Itàque ſubſtantiam doctrinæ accepi; non verba, & ipſam latino idiomate tibi exhibeo, compendioſius quidem, & quæ erant propria ipſius Ordinis, noſtro Ordini accommodaui; praxim vnius proceſſus addidi ad faciliorem Prælatorum directionem: Aliqua accipies de pœnis etiam grauioribus, maximè, quæ in noſtris Decretis ſunt determinata, reliqua habebis ex ſacris Canonibus; & vbi ex erraſſe me videris, tua excuſet humanitas. Vale.

D:

D.Placidus Vicecomes Præpoſitus Generalis Cleric. Regul.

HOc opus inſcriptum (Ordo Iudicialis Cleric. Regul: expoſitus) à P. D. Emanuele de Puteo, Congregationis noſtræ Conſultore, compoſitum, & iuxta aſſertionem Patrum, quibus id comiſimus approbatum, vt Typis mandetur, quod nos ſpectat facultatem concedimus; In quorum fidem præſentes litteras manù propria ſubſcriptas, ſolito noſtræ Congregationis Sigillo firmauimus.

Romæ die 24. Maij 1678.

D. Io. Auguſtinus Gritti Secretarius.

EX commiſſione Admodum R. P. D. Placidi Vicecomitis noſtri Ordinis Præpoſiti Generalis vidimus, ac ſumma voluptate perlegimus Opuſculum, cui Titulus *Ordo Iudicialis* latinè traditum à R. P. D. Emmanuele de Puteo noſtri item Ordinis Conſultore, nihilq. in eo reperimus quod rectæ fidei, boniſq. moribus aduerſetur, imo quod eximia prudentia, & dexteritate non minus copiosè, quàm compendiosè refertum ſit. Quare digniſſimum cenſuimus, vt in commune bonum, præſertim verò ad Superiorum directionem in lucem proferatur.

D. Carolus Pignatellus. C.R.

D. Clemens Laſicarra C.R.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſs. Patri Mag. Sac. Pal. Ap.

Io. de Ang. Arch. Vrb. Vic.

Imprimatur,

Fr. Raymundus Capiſuccus Ordinis Præd. Sacri Pal. Apoſt. Mag.

inter Religioſos. Cap.18. 116
De pænis imponendis iuxta Ius Canonicum, & noſtræ R ligionis Decreta. Cap.19. 122
Praxis Proceſsus Particularis. 130
De auctoritate Præpoſiti, & Viſitatoris informatione Proceſsus apud Cler. Reg. & de Fiſco. Cap 20. 174

De Ordine Iudiciali inter Religioſos.

De Correctione, & Accuſatione.

CAP. I.

Correctio fraterna debet præcedere, quando ſecurè ſperatur emendatio delinquentis; non eſt tamen neceſſaria, quando is qui accuſat, eſt idem ipſe offenſus, qui petit ſatisfactionem à Prælato, quæ poteſt peti etiam ſi is qui offenſam fecit ſit emendatus, dummodò id fiat non amore vindictæ, ſed iuſtitiæ, eſt communis Doctrina.

Similiter, non eſt neceſſe, quod correctio fraterna præcedat, quando ex crimine poteſt reſultare infamia totius communitatis, ſicuti eſt hæreſis, & luxuriæ, aut ſi cri-

men timeatur fore in præiuditium alicuius tertij, vt infamia, vulneratio, aut mors *S. Th.* 2. 2. *q.* 33. *ar.* 7. *Syluester. verb. Corect. n.*4.

Et quia accuſatio poteſt fieri Prælato, & tamquàm Patri, & tanquàm Iudici, primo modo debet fieri, quando ſecurè ſperatur ſufficere ad emendationem delinquentis. Si verò ſit dubium, fieri debet ſecundo modo. *Ita S. Th. vt ſupra Rodriguez. tom.* 2. *q. q. Regul. q.* 7. *ar.* 7.

Correctio autem fraterna eſt facienda, quando delictum eſt occultum, ſi verò ſit publicum non eſt neceſſaria. Publicum autem dicitur, quando vel publicè committitur, vel ſi occultè, peruenit ad notitiam maioris partis, vel Ciuitatis, vel pagi, vel Communitatis, in qua ſint ſaltem decem Religioſi, & hoc modo dicitur notorium facti; notorium verò iuris dicitur, quando de eo fiunt actus iudiciales per denunciationem, vel Confeſſionem delinqnentis, vel per indi-

ditia probata : Si autem ſit facienda denunciatio occulti criminis Prælato, tanquàm Patri; quia per ipſam maiori fructu ſperetur emendatio eſt opinio *Lore.* 2. 2. *q.* 33. *art.* 8. *Sectione* 3. *diſp.* 47. *n.*8. è contra vero ſentit valentia 2. 2. *diſp.* 3. *q.* 10. *punct.* 5. §. *quintus caſus*, quia videtur contra ordinem præcepti correctionis fraternæ. Opinio Sanchez poteſt ſequi, qui docet, quod ſi Religioſus delinquens emendauerit delictum, non debet denuntiari Prælato, ſi eſt dubium an emendauerit, debet tamquàm Patri, *lib.* 6. *decal.* c. 18. *n.* 40; dicit enim S. Benedictus. Rationabiliter dicitur velle Religioſus, poſtpoſito priuato ſuæ famæ bono, denunciari immediatè Prælato eius delicta, tamquàm Patri ob bonum commune, quod indè reſultat Religioni. In *Proem. Regulæ &c.*

CAP. II.

DEnuntiatio, eſt Nuntiatio facta Prælato tamquàm perſonæ priuatæ, qua Fratrem corrigat fraterne ſine ordine iuris. Quandò ergò priuata correctio non fuit ſufficiens, debet fieri talis denuntiatio Prælato tamquàm Patri, qui etiam ſi, delictum ſecretum poſſit Teſtibus ab ipſo probari, hoc non poteſt facere iudicialiter, & iudicialiter punire, niſi denunciatio fuerit facta iudicialiter, aut de delicto ſit publica fama, vel clamoroſa inſinuatio. Sic enim *Cap. Inquiſitionis de accuſatione.* In delicto enim denuntiato Prælato tamquàm Patri intenditur emendatio, non punitio delicti, poſſet tamen ipſum corrigere etiam coram Teſtibus; Et ſi habet teſtes delicti, vel inditia ſufficientia, reus ab ipſo interrogatus erit obliga-

tus

tus veritatem fateri, quem tamen non poterit iudicialiter punire, ſed ad ſummnm coram Teſtibus ipſi mandare, ſi res eſt grauis ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, quod tollat ſcandala &c. *Ledeſma 2. part. trac. de miſericordia Conclu. 26. fol. mihi 275.*

In Caſu verò, quod denuntiatus reus fraternaliter, & adſint teſtes, ipſe proteruè neget delictum, docet *Caietanus 2. 2. q. 33. art. 8*; & alij, quod ſi delictum eſt tantum in præiudicium delinquentis, & non communiratis, vti ſunt contra Caſtitatem, hæreſis &c. tunc Prælatus debet quieſcere, ſi verò eſt in præiuditium communitatis; nec vult ſe emendare, debet denuntiatio fieri iudicialiter, & procedere Prælatus ad punitionem, ità *Panormit. in cap. Nouit. de Iuditij*, & ſi denuntians nolit hoc iudicialiter facere, poteſt Prælatus ipſum præcepto compellere, vt docet *Innocentius in cap. qualiter, & quando 1. de accuſa.* Et ſi omninò nolit, po-

 teſt

teſt Prælatus ſi habet teſtes, procedere iudicialiter, nam ſupplet defectum accuſantis, obſtinatio ipſa accuſati. Sic *S. Thom.* 2. 2. *q.* 67. *art.* 3. *& Miranda q.* 3. *art*2.

De Inquiſitione Generali, quam debent facere Prælati in Viſitat. Conuentus.

CAP. III.

IN inquiſitione generali, quam faciunt Prælati regulares Viſitatores, aut delegati, oſtenſa coram delegatione, poſſunt præcipere ſub præcepto obedientiæ, & pœna excommunicationis ad veritatem dicendam, nec Notarius, vel Secretarius ſunt neceſſarij, cum talis inquiſitio non ſit iudicialis, ſed tantùm præparatoria ad iudicialem.

In tali inquiſitione non poteſt inquirere de peccatis occultis, & ſic

ſic inquirendo, non obligatur ſubditus proferre veritatem, ſed poteſt vti æquiuocatione, & hoc modo etiam iurare. Sic *Nauar. in man. cap.* 12. *n.* 8. & *cap.* 18. *n.* 61. & eſt communis cum D. Thoma.

Si tamen in inquiſitione generali aliquis prætèr ſuam intentionem proderet peccatum aliquod occultum poſſet contrà ipſum iudicialitèr procedere; talis enim manifeſtatio haberet vim publicæ infamiæ, vt docet *Leſſius* cum alij *lib.* 2. *de iuſtit. cap.* 19. *dub.* 15.

Sicuti ſi in generali inquiſitione inueniret publicam infamiam alicuius criminis in maiori parte communitatis, Contra ſuſpectos poſſet iudicialitèr procedere inquirendo, & teſtes tenerentur deponere veritatem. *Sic cap. qualitèr, & quando el.* 5, *de accuſat.*

In inquiſitione generali, illi qui in iuditiali inquiſitione non ſunt teſtes idonei, videlicet detenti, recluſi, infames, & actu in graui pœnitentia detenti, poſſunt au-

diri pro informatione Miranda in *prax. crimin. q. 2. art. 5. notab. 2.*

De aliquibus prænotandis ante tract. de Inquiſitione particulari.

CAP. IV.

AD Iuditium criminale de quo hic agitur. Primo Tres perſonæ ſunt neceſſariæ ſcilicet Iudex, accuſator, & Reus; pro accuſatore poteſt ſupplere publica infamia &c. de qua tractabitur.

Teſtis non eſt perſona neceſſaria, vt accidit, quando ipſemet reus fatetur crimen.

Iudex poteſt eſſe in duplici genere, Ordinarius, vel Delegatus. Primus dicitur, qui habet talem Iuriſdictionem ex proprio officio, Secundus qui talem habet auctoritate alterius; & ambobus debetur obedientia in viſitatione alicuius Conuentus non ſolùm à Religio-

gioſis deſignatis illius, ſed etiam ab hoſpitibus, dùm in illo morantur. Vt *ex cap. fin. de foro competenti &c.*

Epiſcopi in ſua Diœceſi, Generales in toto Ord. Prouinciales in Prouinc. Abbates, Præpoſiti &c. in ſuis Monaſterijs ſunt iudices Ordinarij ratione prop. officij; Prælati Regulares in inſtituendis proceſſibus non tenentur ſeruare ſolemnitates Iuris, ſed ſola facti veritate inſpecta. vt Conceſſit Nicolaus V. Abbati S. Pauli Romæ & dicunt noſtr. Conſtitutiones; Iuris tamèn ſubſtantiam debent obſeruare quæ oritur ex Iure diuino, & naturali, & ea quæ mandant propriæ Regulæ, & Conſtitutiones, vt Doct. communit.

Et ſic poſſunt recipere teſtes à Iure poſitiuo non approbatos, vti ſunt infames detenti &c. etiam in die feſto illos audire, & abſquè præcedenti iuramento, licet hoc non conſulatur, debent enim ſecùriori modo procedere, & citata

parte, vt exigit ius naturale. Videatur Clementina *Paſtoralis*, *de re Iudic.*

Debent tamen habere Secretarium, aut Notarium, vel ſaltem duos teſtes, & iſti poſſunt ſupplere vices Notarij, qui debent dare Iuramentum fidelitatis. *Felin. num. 14. de fidelit. Inſtrument.* & alij. In Cauſis autem læuibus non ſunt neceſſarij.

De Inquiſitione particulari.

CAP. V.

INquiſitio particularis eſt Inueſtigatio de certa, & determinata perſona de crimine Commiſſo præcedente infamia de illo, *Vt ex Cap. qualitèr, & quando de accuſat.* Infamia enim ſupplet vices accuſatoris, & debet eſſe in maiori parte Communitatis, vel Conuentus, licet probabiliter Auctor: graues doceant ſufficere, ſi Teſtes dicant,

cant, ſe publicè tale crimen de aliquo audiuiſſe, & itá obſeruatur communiter, vt dicit *Clarus queſt. 6. & Leſſius lib. 2. de Iuſt. Cap. 29. dub. 16. n. 144.* Iſta tamen infamia debet procedere à perſonis honeſtis, & fide dignis, non neceſſariò de viſu, & ſcientia, ſed ex Coniecturis & indicijs ſufficientibus, vel quod ab alijs fide dignis audierint. Sic *Sotus de ſecret. memb. 2. q. 6. concl. 1. dub. 5.* & communis ſuſpicio maioris partis Communitatis de delicto cum fundamento. Supplet pro infamia. *Nauarr. num. 95. in rubric. de Iudicijs.*

Maior tamen infamia, vel ſuſpicio requiritur in inquiſitione contra Prælatos, & Iudices. quam contra particulares perſonas. *vt in cap. qualitèr, & quandò el. 2. de accuſat.* & ſic non debent facile admitti denuntiationes contra ipſos, quia ſunt poſiti tamquàm ſignum ad Sagittam, vt loquitur *Innocent. 3. in cap. Citato.* Vnde

hoc relinquitur prudentiæ ſuperioris maioris. Ergò ſuppoſita infamia debet illam ſaltem duobus Teſtibus certam facere priuſquàm procedat iudicialiter contrà particularem inditiatum, ne Iudex poſſit culpari de paſſione aliqua contra ipſum. *Ità Doctores Communi.* licet Miranda velit eximere ab hac certificatione facienda Iudicem ordinar. *q.* 7 *art.* 3. *Conc.* 1. ſed ſecuriùs procedet primo modo ne ſe exponat periculo infamandi ſubditum non infamatum.

Secundo Inditia ſufficiunt pro accuſatore, vel pro infamia; Inditium autem eſt coniectura ex probabilibus, & non neceſſarijs orta, à quibus poteſt abeſſe veritas, ſed non veriſimilitudo; duplex autem eſt inditium graue, & leue, graue eſt illud, de quo ſemper præſumitur malum, vti ſi apud occiſum inuenitur quis cum gladio recenti ſanguine madefacto; leue eſt illud; ex quo poteſt præſumi bonum, &

ma-

malum, vti ſi iuxtà occiſum inuenitur quis ſine gladio, aut cum illo, ſed in vagina, & non madefacto ſanguine; Quandò ergò delictum non eſt manifeſtum, & delinquens, vel reus eſt oecultus, licet inditia ſint grauia non ſufficiunt ad particularem inquiſitionem faciendam. Ità *Nauarrus Rubrica de Iudicij n. 56.* Si autem crimen eſt manifeſtum, & inditia ſunt grauia contra aliquem, de illo poteſt particul. iudicialiter inquiri, ſufficiunt enim pro infamia, ſic *Iulius Clarus lib. 5. ſentent. §. fin. q. 6. n. 9.* Vnum tameu inditium non ſufficit, licet graue, debent ſaltèm eſſe duo, & Teſtibus probata. vt Communitèr DD. Vnus autèm Teſtis omni exceptione maior ſufficit ad probationem delicti *l. à D. Pio ff. de re iudic.* non ſufficit autèm ad indicia firmanda: Grauis autèm eſt quæſt. inter Doctores. Si quando crimen eſt notum, & non ſunt inditia contra aliquem poſſit Prælatus inquirere de illo. *Sotus*, & *Caie-*

ta-

tanus negant; Sed probabiliùs *Villalob. in ſumm. t. 2. tract. 24. dif. 7. n. 2. Malderus. Valentia, Bannes, & alij multi*; qui aſſerunt poſſe, ob bonum public. inquirere non de aliquo particulari, ſed in generali, & in hoc Caſu quilibet Teſtis debet deponere, & reuelare reum, etiam ſi occultum, & directè Iudici reſpondere; ſic *Miranda cum Aragone*.

Inditia autem ſi non ſunt grauia, nec præceſſerit infamia Rei, licet delictum ſit manifeſtum, non ſufficiunt, vt Prælatus poſſit inquirere iudicial t. contra particularem indiciatum. Si verò præceſſerit ſemiprobata infamia, & adſint duo inditia licet leuia contra particul. ſufficient pro valore infamiæ, vt de illo nominatim inquirat. Ita *Sotus de ſecret. memb. 2. q. 6. in fine*.

Tertio, Vt Prælatus procedat contra aliquem in particulari non ſufficit ſemiplena probatio ſi crimen eſt occultum, & ſimiliter reus

ex

ex cap. Inquiſitionis de accuſat. §. tertiæ dubit. Hoc tamen intelligitur, quando non præceſſit infamia, aut accuſator, ſeù ſuppleus accuſatorem; ſi verò crimen eſt manifeſtum, & de reo eſt ſemiplena probatio ſufficiet, vt Iudex de illo nominatim inquirat, vti, ſi adſit occiſus, & vnus teſtis omni exceptione maior deponat ſe vidiſſe Petrum, ipſum occidentem, & iuret, ſufficiet, vt de Petro inquirat, *Sic. Miranda. q. 7. ar. 5. concl. 2.* Si verò Iudex procedat via accuſationis, & non infamiæ ſufficit ſemiplena probatio, etiam ſi delictum ſit occultum, vt contra accuſatum procedat, *Ità DD. communiter.*

Quarto poteſt Iudex procedere nominatim contrà delinquentem licet non præceſſerit infamia, modò adſit vnus Teſtis, quando delictum eſt perniciosum toti Reipub. vt hæreſis, læſæ Maieſtatis traditio, & peccatum nefandum, & ſimilia, etiamſi crimen ſit occultum, vel etiam quando debet inquiri, de oc-

occiſione Epiſcopi, vel Prælati; In his caſibus lex *diſpenſat. D D. communiter*.

Quinto, Eodem modo poteſt inquirere, quandò delictum eſt in præiudicium tertij, etiamſi non præceſſerit infamia, vt ſi vnus velit occidere alium, lex enim vult quod præcedat infamia, quandò crimen redundat in præiuditium committentis illud, non quando eſt contra bonum publicum, vel tertij *Sotus de ſecret. q. 6. concl. 3. in 6. caſu*.

Sexto, Eodem modo abſque præcedenti infamia, ſi inquirendo contra accuſatum, inueniat quod accuſans ſit falſarius, poteſt contra ipſum inquirere, ſicuti contra periurantem, aut falſam ſcripturam exhibentem, & ipſus punire *l. 1. c. de Calumniat.*

Septimo, Eodem modò poteſt inquirere, quandò in inquiſitione generali aliquis reuelet crimen occultum de aliquo, aut ſi fraternè correctus aliquis ſit contumax,

&

& obſtinatus, talis enim obſtinatio, vt dictum eſt ſupra, gerit vices accuſatoris.

Similiter quando in Iudicio aliquis denuntiatur tamquam reus, & ſi non via accuſationis, vt dicetur inferius.

Octauo, Poteſt etiàm inquirere nominatìm abſq. infamia, quando inquiſitiò non eſt ad finem puniendi, ſed tantùm corrigendi delinquentes, aut auferendi occaſiones criminum, *Sic Nauarrus in Rubrica de Iudit. n. 92. Vt DD. Communiter docent.*

Nono, Literæ Scriptæ Prælato abſquè nomine ſcribentis nullam habent vim in Iuditiò, nec virtute ipſarum poteſt contra particularem inquirere, benè poteſt in generali: *cap. Inquiſit.* §. 3. *de accuſat.*

Quæ vſque modo ſunt notata de inquiſitione particulari, ſunt ſecundum rigorem Iuris quæ tamen Prælatus non debet tàm rigorosè obſeruare, quia grauiſſimi Auctores docent poſſe tuta Con

ſcien-

ſcientia procedere ad inquiſitionem particularem de peccatis occultis etiamſi non præceſſerit infamia. Sic *S. Antoninus 3. par. tit. 9. c. 7. §. 3. verſ. quantum. Silueſter, Bartolus, & alij*, & quod itá ſeruetur in foro Eccleſiaſtico communiter affirmat *Bernardus Diez. in prax. cap. 6. n. 3.* Cum alijs, ſi enim aliter fieret multa crimina manerent impunita, bonum enim publicum Religionis debet præualere priuati famæ. Tanto magis, quod & ſi Ius poſitiuum hoc mandet ſe conformando iuri diuino, & naturali, hoc tamen poſitiuè non mandat Ius diuinum, vt obſeruat *Sotus de Secreto memb. 2. q. 6. dub. 2. Nanarrus*, Leſſius *&c.*, vt patet in exemplo Acabi pro delicto occulto, & ſine infamia lapidati, ex noſtris etiam Conſtitutionibus, & ex priuileg. Sum. Pontif. habetur, quod Prælati debent procedere in Iuditio. Sola rei veritate inſpecta. Imò ipſe Innocentius 3. *Cap. qualiter, & quando, de accuſa-*

ſatione loquendo in hac materia, ſubiungit. Hunc tamen ordinem circa Regulares perſonas non credimus vſquequaque obſeruandum quæ (cum cauſa requirit) facilius, & liberius poſſint ab adminiſtrationibus amoueri: ex quo colligitur, quod ſi contra Superiores in ipſorum delictis occultis, mandat poſſe procedi vſque ad depoſitionem ipſorum etiam non præcedente infamia, multo magis, hoc modo poterit procedi contra Subditos. Concluditur ergo, quod Prælatus poſtquam medijs fraternæ charitatis nihil profecerit, & timet reincidentiam, debet omninò contrà ipſum iudicialiter procedere, debet enim vnus perire, ne bonus odor Religionis pereat.

Hoc autem modo debet incipi, & dirigi proceſſus.

IN Nomine Domini Anno, mẽſe die in tali Conuentu, cum Ad. R.P.

R.P.Præp. Generalis,vel Viſitator, vel delegatus venerit, & in viſitatio:generali,inuenerit clamoroſam infamiam, quod talis Religioſus excluſo Dei timore hoc, & hoc fecerit,idem P.Generalis, vel Viſitator &c. ob bonum publicum, volens contra delinquentem adminiſtrare Iuſtitiam &c. ordine iuridico ſeruato, me N. declarauit, & creauit Notarium dictæ Cauſæ, & petito a me Iuramento fidelitatis, quod, & præſtiti, mihi mandauit, quod fideliter gererem meum officium, & hoc modo incepit formare hunc proceſſum. In primis. Debet inquirere an in dicto Conuentu ſit talis clamoroſa infamia, vel grauia indicia teſtibus probata fidelitatis certa, & ſi, (quod Deus auuertat)fuerit probandum, quod aliquis Religioſus deliquerit cum muliere nupta, vel bonæ famæ, non debet in proceſſu ponere nomen muleris, ſed tantum verbalitèr delinquenti nomen pandere, vt poſſit ſuam Cauſam defendere.

De

De Denunciatione Iudiciali.

CAP. VI.

DEnuntiatio. Iudicialis eſt. Nunciatio ſiuè manifeſtatio criminis, ſiuè delinquentis, facta legitimo Prælato, tamquàm Iudici, vt delicta puniat, ſecundum Iuris Regularis, & Ordinis ſtatuta: Differt denunciatio, ab accuſatione, quod accuſatio fit ab eo, qui crimen manifeſtat Iudici, & tanquam actor exigit ab ipſo pœnam criminis; denuntiatio autem eſt ab eo, qui tantum Iudici manifeſtat crimen, vt inquirat de eo, & hoc modo, ſecundum aliquos poteſt Iudex denuntiantem admittere pro teſte, non verò accuſantem. *Ità Nauarrus in manu. Cap.* 25. *n.* 33. *Leſſius lib.* 2. *de Iuſt.Cap.* 30. *dub.* 4. *n.* 29.

Securius tamèn eſt, ipſum non admittere, ſi eſt denuntiator iudicialis, & ſecurè admittendus ſi eſt

Euan-

Euangelicus, ideſt ſecretus. *Ità Sotus de ſecreto memb. 2. q.4.* In denuntiatione non obligatur Iudex imponere delinquenti totam pœnam legis, ſicut obligatur in accuſatione; ſicuti etiam non ità debet punire denuntiantem, qui crimen non probat, ſicut accuſantem, qui ſimiliter non probat crimen, vt Doctores communitèr; ſecus, ſi denunciator ipſe præſentet teſtes, & ſollicitet Iudicem ad infligendam pœnam, talis enim cenſendus eſt tamquam accuſator. *Vt Bartolus in l. per hanc c. de tempor.& repara. appellat.* In Viſitatio. Generali nemò obligatur accuſare, vel denuntiare Prælato delinquentem iam emendatum, ſed ſolummodò tenentur deponere, vt teſtes, veritatem, ſi legitimè à Prælato fuerint requiſiti. Si verò crimina fuerunt publica, etiam ſi emendata debent denunciari, vt ſcandalo ſatisfiat, *Ità S. Thom. 2. 2. q. 33. art.7.* Nullus tamen obligatur denunciare crimen iudicia-
li-

litèr, quòd non poteſt probare, imò eſt peccatum mortale, vt probat *Nauarrus in cap. Inter verba concl. 6.* In Viſitatione Generali, quando Prælatus mandat ſub præcep. obedientiæ, vel pœna excommunicationis latæ Sententiæ, peccat mortaliter, qui non reuelat, etiam tranſacto termino poſito à Prælato. *Ita Nauar. in manu.cap. 25. n.46.* Criminoſi tamèn & perſeuerates publicè in ſuis criminibus, denunciantes aliquem, non admittuntur, quia non cenſentur hoc facere bono Zelo: *Ità Cap. cum dilectus de accuſat;* Similiter nominatim excommunicati; nec illi, qui prius fraternè non correxerunt delinquentem, niſi aliqua iuſta Cauſa illos excuſet, quam debent exponere *cap. cum dilectus, & cap. 2. de accuſat.* Neque Conſpiratores, de quibus dicetur infra *cap.* 13.

Qui iudicialitèr denunciat Prælato, debet etiam exhibere ſuos Teſtes, niſi ad ſit publica infamia;

ne

ne Prælatus interroget neſcientem crimen, forſitan falſum præiudicio denuntiati.

Et ideò Prælati attentè debent conſiderare qualitatem denuntiantis, denuntiati, & teſtium, ne innocentem infament; ſi enim dubitant, àn aliqua paſſione fuerit facta denuntiatio poſſunt denunciationem repellere. Vt in *Iure cap. Repellantur de accuſatione, &* ſpecialitèr ſemper ſunt ſuſpectæ denunciationes ſubditorum Contra ſuos Prælatos, maximè ſi iſti ſunt Zelantes, & rigoroſi, de quibus notat. *Innocent. 3. in cap. qualitèr, & quandò el. 2. de accuſat.* Poſiti ſunt quaſi ſignum ad ſagittam.

Denunciator, qui tanquam actor ſollicitat Prælatum ad inquiſitionem, vel accuſator, qui pœnam ſollicitat, & non probant crimen, deberent ſubire pœnam talionis, & licet iſta non ſit in vſu, ſaltem priuantur omni officio, & beneficio quoad vſquè probent ſuam innocentiam; Denunciator

ta-

tamen, qui non eſt ſimul actor, dummodò iudicialiter denuntiet, debet puniri pœna arbitraria, licet non tam graui, ſicut accuſator, qui non probat. Bartolus tamen vult præſumi calumniator, quilibet denuncians, qui non probat, & qui tantum probat denunciationem ſemiplenè, debet puniri, ac ſi nulla eſſet probatio, vt habet ex *Cap. Vt circa de electione ver. Contra non bene probantes*, *c. 2. de calumniatis*. Vbi etiam ponitur pœna ipſorum. Pœna autem, quæ datur denuntianti, qui plenariè non probat, debet ſtatim exequi, licet in ſententia debeat Iudex concedere tempus, in quo poſſit probare, quod non denunciauerit tamquàm calumniator, vt colligitur *ex Cap. 2. de calumniat.* & ſi hoc probauerit, ceſſabit pœna; probatio autem ſuæ innocentiæ debet fieri duobus, aut tribus teſtibus, qui iuramento deponant, ſe credere talem non proceſſiſſe in denuntiatione calumnioſe, vtpotè

bonæ opinionis Religioſus communiter DD.

Aliquos tamen Caſus ponunt Auctores, in quibus denunciator, & accuſator non præſumuntur calumniatores, *Felinus cap.* 2. *de calumniat.* & alij.

Primo quando denuntiatio agitur de grauiſſimis criminibus, vt eſt falſas condere monetas &c. ne de talibus deficiant accuſatores *l.* 1. *cap. de falſa moneta*.

Secundo, quando accuſatus, vel denunciatus de illo crimine patiebatur infamiam *l. miles §. mulier ff. de adult.*

Tertio, quando accuſator, ſeù denunciator à fide dignis crimen audiuit *Text. in cap. Inquiſitionis de ſent. excomm.*

Quarto, quando Teſtes denuncianti promiſerunt deponere crimen, & poſteà noluerunt per *Gloſſam in cap. Paulnm* 2. *q.* 3. Panormitanus tamen docet, quod & ſi lex in iſtis Caſibus tollat perſumptionem à denunciatione, &

ac-

accuſatione Iudex tamen ex offi-
cio debet inquirere an fuerit ca-
lumnia, & probata ipſos punire.

Aliqui Doctores docent, quod Prælatus non poſſit procedere in denuntiatione contra particular., niſi præcedat infamia, vt *Nauarr. in Rubr. de Iudic. n.* 95. & alij; tamen ſecuriùs eſt pro bono Communi, quod Prælatus acceptata denuntiatione attentis requiſitis circumſtantijs, quod poſſit procedere, ſic *Leſſius lib. 2. de Iuſtitia cap. 29. dub. 15. n. 136.*, & alij omnes enim Iuriſperiti docent, quod denuntiatio iuridica aperit viam ad inquiſitionem, alioquin non eſſet neceſſaria denuntiatio, quando ſine infamia non poſſet procedere, cum per ſolam infamiam poſſit.

Tandem ſi denuntians, vel accuſans in ſcripto præſentauerit Iudici denuntiationem, vel accuſationem hanc debet ponere in principio proceſſus firmatam ab ipſo, & à Iudices & Secretario.

De accuſatione Iuridica, & rigoroſa.

CAP. VII.

ACcuſatio eſt delatio rei de crimine ad vindictam publicam libello facta ſic *Sylueſter ex Azorio*, & iſta debet præſentari expoſito nomine accuſati, crimine, loco, & tempore, & quod accuſans non mouetur animo calumniandi, ſed Zelo Iuſtitiæ *l. libellorum ff. de accuſatione*. Nec poteſt fieri proceſſus, niſi præcedat accuſatio, vel aliquid quod ſuppleat vices ipſius, vt ſupra dictum eſt *Cap. 4.*

In proprijs offenſis nullus tenetur accuſare, cum ſit actus virtutis illas ſuſtinere, benè tamen offenſus poteſt illas denuntiare Prælato tamquam Patri, vt procuret emendationem offendentis. Licitum eſt tamen accuſare, ſecluſo odio, vel rancore, vt iuſtitia, &

pu-

punitio delictorum habeant ſuum locum: *Cap. ſi is qui 23. q. 3. Cap. ſi quis Contriſtatus dub. 90.*, licet ſit difficile, quod non interueniat vindicta.

Quando delictum eſt contra bonum publicum, & poteſt probari, quiſque tenetur accuſare, ſub pœna peccati mortalis: Si tamen quis putat ſolam denuntiationem ſufficere ad emendationem criminis, non erit neceſſaria accuſatio. *Sotus de Iuſt. & Iur. lib. 5.*

Quandò eſt contra proximum, vt ſi Petrus velit occidere Paulum, nec putat ſufficere correctionem, vel denuntiationem extraiudicialem, vt Petrus ſe corrigat; Sciens tenetur ſub pœna peccati mortalis, vel Paulum admonere, ſi ſufficit, quia bonum innocentis eſt maioris ponderis, quam fama delinquentis licet ſecrete. *Ita D. Th. 2. 2. q. 33. art. 7.* & communiter.

Prohibentur accuſare inter Re-

ligioſos, illi qui per ſententiam fuerunt declarati incapaces, qui tanquàm falſos teſtes fuerunt conuicti, & declarati, qui detinentur in Carceribus, & puniti pro aliquo infami delicto, vſquè dum durat eorum carceratio, & infamia *l.* 11. *tamen omnes ff. de accuſatione*. Iſti tamèn in criminibus contra bonum publicum, & Rempublicam poterunt audiri etiam iudicialiter, vt ſupra dictum eſt. Prælati habent auctoritatem Conſideratis circumſtantijs iuſtis, vel iniuſtis, accuſationes repellendi; & etiam admiſſas, ſi inueniant defectuoſas, poſſunt retinere actus factos, ſicut poterunt illas non admittere: ſi autem accuſatio fuerit iuſta, & ob bonum publicum, vel particulare, non poſſunt ipſas repellere, niſi caſu, quo ob præeminentiam perſonæ accuſatæ timeatur ſeddicio, aut graue damnum publico. Sic *Aragon.* 2. 2. *q.* 68. *art.* 5; *& Miranda. q.*15. *art* 9.

Quando accuſator non probat cri-

crimen, licet non ſit in vſu pæna talionis inſtituta à S. Damaſo Papa niſi in teſte, qui falſum iurauit in cauſa Capitali, & mortis, vt ex l. vltima Tauri; tamen Prælatus ſecurè debet punire dictum accuſatorem, niſi in accuſatione dixerit, quod de crimine ſit publica infamia, licet poſtea probata infamia, non probetur crimen. *Ità Bartolus in l. cum quidam §. quod dicitur ff. de acquirenda hæred.* Forma autèm accuſationis eſt hæc. Quod tali die &c. apparuit antè talem Prælatum N. talis Religioſus N; & accuſauit Religioſum talem N. de tali, & tali crimine, petendo Iuſtitiam, & hoc cum Iuramento affirmat, & citat tales & tales Teſtes N.N., & dicit, quod de hoc ſit publica infamia, quam petit à Prælato probari, &c.

De Informatione Summaria.

CAP. VIII.

ANtequàm deueniat Prælatus ad Summariam Informationem debet priùs benè capere delictum & ſi eſt facti permanentis, vt mors vel vulneratio, debet priùs viſitare mortuum, vel vulneratum ſi adeſt; ſi verò ſit facti tranſeuntis, vt fornicatio, vel iniuria &c. immediatè debet incipere informationem, ſic Cap. quia propter de elect. *Cap. venerabili, vbi gloſ. de teſtibus.*

Si proceſsus fiat de officio, & per viam particularis inquiſitionis in capite ipſius ponatur actus, vel publicæ infamiæ, vel accuſationis, vel denuntiationis factæ coram Prælato per Notarium, notando annum, menſem, & diem, & teſtes depoſitos cum omnibus expoſitis circumſtantijs, ex quibus

bus deſumatur Interrogatorium, faciendum, quod tali modo à Notario debet ordinari: In tali Conuentu, anno, Menſe, & die R.P. Viſitator, aut &c., vt veritas innoteſcat d. Cauſæ, quæ procedit per viam inquiſitionis particularis, aut denunciationis, vel accuſationis, factæ per talem religioſum N., & quod intendat facere iuſtitiam de tali delicto, mandauit coram ſe comparare talis Religioſus N; qui eſt vnus ex Teſtibus citatis, & ab ipſo accepto iuramento in forma iuris, dicendi veritatem, quod, & fecit, interrogatus &c. reſpondit &c. Si procedatur per viam inquiſitionis particularis, prius verificetur infamia delicti, & Teſtes citati prius faciant iuramentum veritatem promendi, abſque enim Iuramento tactis ſacroſanctis Euangelijs iuridicè non valet depoſitio, vt *l. Teſtium C. de Teſti*. Et etiamſi Nicolaus V. vt ſupra dictum eſt *Cap.* 4. Conceſſerit Prælatis Religioſorum quod

poſſint abſque tali iuramento, ſecurius eſt vti, & in caſu quo indigeant depoſitione alicuius ſæcularis, qui non poteſt ab ipſo obligari ad Iuramentum, mittat ad ipſum duos probatos Religioſos, quibus talis ſæcularis amicabiliter referat, quod ſentit, quod poſtea ipſi iuramento deponant, & talis depoſitio valebit pro iurata aſſertione ſæcularis, vt docet *Ouandus in 4. diſt. 19. pag. 785.* prudentèr tamèn Conſideret Prælatus an talis ſæcularis paſſione moueatur, vel non, in ſua aſſertione.

Ipſemet Prælatus debet examinare teſtes, nec poteſt alijs committere *l. 3. §. diuerſ. ff. de Teſtibus*, vt obſeruet teſtes deponentes, an metu, vel odio deponant: Cauſa tamèn infirmitatis ipſius Prælati, vel abſentiæ teſtium poteſt Prælatus alijs probis viris committere examen, quæ commiſſio debet conſtare in Proceſſu: Interrogatio autem debet fieri ſecun-

cundum ordinem querelæ, & probatæ infamiæ: & prima Interrogatio debet eſſe an teſtis cognoſcat partes accuſantes, & accuſati *l. cum Cauſam de teſtibus*; Secunda Interrogatio ſecundum leges generales, ſi teſtis ſit conſanguineus, vel inimicus accuſati, & cuius ætatis ſit, deniquè ad Interrogationes delicti, circa ſubſtantiam, circà modum, tempus, & locum, an ſit teſtis de viſu, vel auditu, an fuerint alij præſentes, & qui poſſunt debent examinari, vt conſtet an concordent in depoſitione, & an ſint, alij qui habeant notitiam dicti delicti, & depoſitiones verbis prolatæ à Teſtibus, ijsdem verbis debent ſcribi, à Notario, qui debet Ipſas teſti legere, vt conſtet de fidelitate ipſius, & vt poſſit ſi vult aliquid addere, vel emendare, & in fine ipſe Iudex, Teſtis, & Notarius debet ſubſcribere, & ſi neſcit ſcribere, ſaltem debet formare crucem propria manu; Prælatus autem, ante quam teſtem

expediat, debet ab ipſo accipere Iuramentum de ſecreto ſeruando de his omnibus, in quibus fuit interrogatus, vel reſpondit, aliter erit punitus, non ſeruando, tamquàm periurus. *Ità per ſpeculator. tit. de teſtib. n. 3.*, vt ſic euitentur confabulationes & conuentiones Teſtium puniendus etiam pœna arbitraria, vt *l. qui Fuſo. vbi gloſa ff. de Teſtibus*.

De reo, & ipſius verbali citatione, vel reali, in Carceribus.

CAP. IX.

FActa informatione Summaria delicti, debet Prælatus immediatè antè ſe citare reum, niſi ob grauitatem delicti fuerit anteà poſitus in Carceribus. Vt ex *Clementina Paſtoralis §. Cæterum de re iudicata*. Iſta citatio ad Carceres eſt eſſentialis in Iudicio, & fit, vt aſ-

aſſecuretur Reus dum tractatur ipſius Cauſa, dupliciter autem poteſt fieri, iſta citatio realis quando facta informatione Summaria immediatè mandatur in Carcerē, & de tali mandato fit actus in proceſſu per Notarium, in quo etiam deputatur à Prælato laicus tanquàm cuſtos carceris, cui ſub pœna excommunicationis mandatur, vt Reum in illa cuſtodiat: alia citatio eſt verbalis, quando ſcilicet Prælatus citat prius reum ante ſe, & ab ipſo accipit confeſſionem delicti, interim verbaliter deputatus carceribus, in quibus non poteſt Reus compedibus, & catenis conſtringi, niſi ob defectum ſecuritatis carceris timeatur ipſius fuga, aliter eſſet peccatum mortale Carcer enim inter Religioſos non eſt niſi ad ſecuritatem perſonæ, vt ex *l. 1. c. de cuſtodia Reorum*. Licet etiam pro pœna delicti poſſit Prælatus Reum condemnare ad Carcerem. *Vt Cap. quamuis de pœnis lib. 6.*, &
iſta

iſta tunc poterit eſſe pœnoſa, & moleſta.

Secundum ius commune non poteſt fieri incarceratio, niſi timeatur fuga delinquentis, aut grauitas delicti hoc petat, & inter Religioſos, ſtandum eſt Statutis Religionis, vt dicetur infra. Prælatus poteſt mittere ad Carcerem Reum poſt Summariam informationem, & pluſquam ſemiplenè conſtet ipſius delictum. *Farinaccius q. 7. n. 112.* Similiter, quando ad aures Prælati peruenit aliqua notitia, quod Religioſus delinquens velit fugam capere, poteſt etiam antè Summariam delicti ipſius informationem in Carcerem mittere; Non pœnæ feſtinatione, ſed præueniendi periculi Cauſa, vt dicit *Vulpianus l. 6. §. hi autem ff. de iniuſto rupto.* Sicuti etiam miniſtri iuſtitiæ poſſunt ducere ad Carceres Reum quando ipſum infraganti crimine inueniunt: Sicut è contra incurrunt Prælati excommunicationem,

quan-

quando ſine Cauſa mittant Religioſum in carcerem, vt docet Iulius Clarus *d. q.* 28. Si tamen inuenerint delictum notorium, cui eſt impoſita pœna carceris, ſicuti eſt de Apoſtaſia, poterunt antè Summariam informationem in carcerem mittere, quia propter euidentiam delicti poſſunt ferre ſententiam abſque ordine iudiciali. Vt *ex cap. euidentia de accuſatione cap. manifeſta* 2. *q.* 1. Si autem in multis caſibus licitum eſt ſæcularibus Reis fugere ex Carceribus de quibus loquitur *Sotus lib.* 5. *de Iuſtit. & Iure. q. 6. art.* 4. tamen Religioſis nunquam eſt licitum, quia propter Deum ſua propria voluntate ſe priuarunt, *ſic Caietanus* 2. 2. *q. 69. ar.* 4. *in ſolut. ad* 2. & alij, & per antiquum ius tales fugientes ad mortem erant condemnati. ſi erant ſæculares. *l.* 1. *ff. de effract. Carcer.*, vel graui pœna arbitraria ſecundùm qualitatem perſonæ, ſicuti modo eſt in vſu; Ita Religioſi fugientes præter

rer pœnam delicti, aliqua graui pœna arbitraria ſunt plectendi.

De Confeſſione Rei in Iudicio.

CAP. X.

CItato Reo verbaliter, & poſito in Carcere, ſi neceſſitas, aut grauitas delicti hoc requirat, & timeatur fuga, non permittatur, vt ei aliquis loquatur; ſed Prælatus cum ſuo Notario ad ipſum accedat, & benignè ſalutato Reo, ab ipſo exigat iuramentum dicendi veritatem, & poſteà interroget ipſum de nomine, Patria, & ætate, & quo anno, & die fecerit profeſſionem ſolemnem, deindè an ſciat Cauſam propter quam ſit incluſus in carcere, denique pergat ad interrogationem circa delictum ſecundùm ordinem depoſitionis factæ à Teſtibus in Summaria informatio-

tione, & hæc omnia ſcribat Notarius. Aduertat autem Prælatus, quod antequam incipiat ſupradictam interrogationem debet per Notarium intimare ipſi Reo factam informationem Summariam ſui delicti cum requiſitis teſtibus ſuppreſsis tamen nominibus, vt ſciat Reus, quod Iudex iuridicè interroget, & quod ipſe ſit obligatus reſpondere veritatem, aliter poſſet delictum occultare, vt Doctores communiter, cum *Soto*, *Nauarro*, *Leſſio*, & *Alderete de Religioſa diſciplin. lib.* 2. *c.* 4. *n.*7. cum vnuſquiſque habeat ius ad propriam famam, niſi, vt dictum eſt, obligetur iuridicè. *Vide Dianam* 2. *par. trac.* 5. *miſcel. reſol.* 91.

Iuridicè autèm non interrogat Prælatus, niſi Reus ſit ipſi ſubiectus, & niſi prius habuerit ſemiplenam probationem ipſius delicti per Teſtes, aut per vnum teſtem oculatum omni exceptione maiorem; Etiàm iuridicè interrogat

Præ-

Prælatus, quando accepta denunciatione fraterna tamquàm Patri de delicto, quod poſset teſtibus probare, & ab ipſo admonito Reo Paternè, ipſe Reus perſiſtit negando delictum, tunc ipſius obſtinatio, gerens vicem accuſatoris, dat ius Prælato interrogandi iuridicè, & reus erit obligatus ad veritatem dicendam *Sotus de Iuſtit., & Iur. lib. 5. q. 6. art. 2. concl. 4.*

Vt antem reus poſſit condemnari requiritur ipſius iuridica confeſſio, licet ipſius extraiudicialis confeſſio ſufficiat ad ipſum torquendum; & confeſſio debet eſſe clara, & diſtincta, alitèr generalis, & æquiuoca nihil probat *l. Certum ff. de confeſſis*. Inſuper debet eſſe veriſimilis ſecundum acta proceſſus *l. 1. §. Diuus Seuerus ff. de queſtion.* Nec debet eſſe facta errore linguæ, aliter poteſt reuocari. *Vt Farinac. tom. 3. de Reo conuicto, & confeſſo q. 81. ar. 316.* Debet eſſe ſpontanea, & libera,

&

& ità illa, quæ ſit in tormentis, non valet, niſi poſteà ratificetur. Neque illa quæ præcibus, & ſuaſione Iudicis fit, cum ficta promiſſione ipſum liberandi *l. 1. ff. de dolo, & l. ff. quod metus Cauſa.*

Reus conuictus, vel infamatus de vno crimine non poteſt interrogari de alio crimine occulto, de quo non ſit infamia. *cap. Cum oporteat de accuſatione*; Si verò crimen conuictum ſit ſufficiens inditium, occulti criminis, benè poterit interrogari; ſicuti ſi infamatus de adulterio, eodem tempore appareret mortuus in lecto manibus adulteræ, benè poſſet adulter interrogari de illo homicidio. Similiter ſi habet connexionem, cum occulto crimine E. G. infamàtus de inhoneſta amicitia cum muliere, poteſt interrogari an illam deflorauerit, quia vnum crimen in his Caſibus, eſt ſufficiens inditium alterius. *Miranda queſt. 19. ar. 10. Concl. 2.*

Reus conuictus, & confeſſus de

vno

vno crimine non poteſt interrogari de ſuis complicibus in eodem crimine, ſi non fuerint priùs defamati de eodem, excepto crimine leſæ Maieſtatis humanæ, & diuinæ, conſpiratione contra Rempublicam, & Prælatum. Simonia, Sacrilegio, falſificatione monetæ, aſſaſſinio, prædatione in vijs, & criminibus, quæ ſine complice committi non poſſunt, vt Sodomia, vel quæ ſunt contra Religionem, vt fornicatio, & conſuetudo detrahendi, vel quæ ſunt contra bonum particulare, vt eſt conuentio alium occidendi, aut vulnerandi, aut bonis ſpoliandi, in quibus omnibus poteſt interrogari de complicibus, etiamſi non fuerint defamati, quia bonum publicum, vel particulare innocentis præponitur famæ delinquentis Alderete *lib.* 1. *Cap.* 11. *n.* 14. *Farinaccius in praxi tom.* 2. *q.* 43. *art.* 1. & alij, in quibus tamen poteſt intetrogatus de Complicibus vti æquiuocatione; & ſi

ve-

veritatem fateretur in caſibus non licitis interrogandi, eius depoſitio non dat Ius contrà compliſcem. Ità Doctores, vt ſupra.

S. Thomas, & Thomiſtæ docent; quod Reus iuridice interrogatus debet ad interrogationes directè vera reſpondere, etiam ſi ſciat ex ſua confeſſione ſecuturam ſententiam ſuæ mortis, quia Iudex, vt ſuperior iuſtè mandat, & Reus tenetur obedire, aliter ſequeretur, quod poſſet dari bellum ex vtraque parte iuſtum quod eſt abſurdum: Contrarium tamèn tenet Scotus, fundans ſuam ſententiam in illud *Deuter. Cap.* 17. vbi ſcrip. dicit. In ore duorum, aut trium teſtium peribit, qui interficietur, nemo occidatur, vno contra ſe dicente teſtimonium, ex quo ſequutum eſt prouerbium. Dictum vnius dictum nullius, & quod poſſit Reus vti æquiuocatione, dummodò non ſit conuictus, ſperans propriam libertatem, tenent *Filiuc. tom.* 2. *tract.* 40.

num.

n. 266. Io. Valerus Villalobos, & alij multi. Et hæc ſententia videtur probabilior in Cauſis, in quibus timeatur grauiſſima pœna, vt eſt inter Religioſos, perpetuus carcer condemnatio ad triremes expulſio ab Ordine, ſiue grauiſſima infamia; natura enim hoc dictat, vt qnilibet defendat ſe ipſum quandiù poſſit, & ſi lex humana non obligat quando eſt grauis Cauſa in contrarium, quarè obligabit præceptum Iudicis! nec eſt inconueniens dari iuſtum bellum ex vtraque parte, ſicut in alijs Cauſis poteſt eſſe iuſtitia ex vtraque parte E. G. Dominus iuſtè poteſt mandare ſeruo ne fugiat, & ſecurus poteſt iuſte fugere, vt habeat libertatem, Iudex iuſtè præcipit Reo condemnato ad mortem ne fugiat, & Reus iuſtè poteſt fugere, vt vitam conſeruet; ità in noſtro caſu, Iudex iuſtè mandat dicere veritatem, & Reus iuſtè poteſt vti æquiuocatione vt ipſam occultet.

Pa-

Patres Miranda *queſt.* 19. *ar.* 1. *& Alderete lib.* 1. *c.* 11. *n.* 17. *&* 18. dicunt quod ſi detentus ſit minor vigintiquinque annorum, debet ipſi dari curator, ſiuè Procurator, qui ipſum defendat, & ſi non datur non valet ipſius confeſſio *l. cum, & minores c. ſi aduerſus rem iudicatam*. Inter Religioſos, et ſi hoc non obliget, tamen debet Prælatus Reo offerre Curatorem, ſeu aduocatum quemcumque Reus voluerit, qui ſit Religioſus, vt *ex Clement. Religioſus de procurat.* & Notarius debet ſcribere in Proceſſu, oblationem factam à Iudice, nominationem perſonæ factam à Reo, & acceptationem ab ipſo Religioſo procuratore.

Facta confeſſione ab ipſo Reo, modo, quo dictum eſt. Prælatus debet ipſi notificare quid ex ipſa, et depoſitionibus Teſtinm reſultet contra ipſum, & ipſi terminum aſſignare, in quo poſſit ſe defendere teſtes citando pro ſe, qui vt moris eſt iurent, & Procura-

ra-

rator ipſius in teſtium depoſitionibus aſſiſtet, vt poſſit ipſum defendere, ſi valet, pro qua defenſione debet habere copiam proceſſus; ſuppreſſis tamen nominibus Teſtium in rebus leuibus, non autèm in grauioribus, vt dicetur *Cap.* 14. & de his omnibus Notarins debet actus Scribere, & acceptatam procurationem, curare vt Procurator ſubſcribat, die, & menſe, quo fuerit facta, & ipſemet Notarius ſubſcribendo.

De Notificatione facienda Reo de his, quæ contra ipſum reſultant in proceſſu.

CAP. XI.

ISta notificatio non poteſt relinqui etiam ſi Reus ſit faſſus, quia ex ſuis reſponſionibus poteſt multa dicere, quæ minuent culpam & pœnam. *Vt ex Cap. quali-*

liter, *& quandò cl. 2. de accuſat.* & ex Clement. *ſæpè de verb. Significat.*

In Cauſis minoris ponderis, & in quibus non debet dari pœna Carceris, aut priuationis officiorum, poſsũt Pręlati terminata informatione ſummaria, & citato Reo, ipſi notificare quid contra ipſum reſultet, abſque ipſius confeſſione. Et de hoc aſſignat rationes *F. Ioſeph de S. Maria in ſuo Tribunali tract. 4. cap. 1. §. 5.* Mandatur enim à Prælatis in virtute Sanctæ obedientiæ Reo, vt veritatem fateatur, & ideò eius reſponſio cum ſit virtualis confeſſio, illa non erit neceſſaria.

Aduerti tamen debet, quod notificationes non debent fieri in genere E. G. quod ſit detractor, vel ſuperbus, ſed debent fieri in ſpecie, quia in genere prohibentur *l. libellorum ff. de accuſat. & l. Prætor ff. de iniurijs*, cum Reus non poſſit reſpondere, niſi cum generali negatione, quæ eſt improbabilis.

Debet etiam Prælatus dare terminum Reo, vt poſſit cõpetenter reſpondere ad grauamina contra ſe facta,&notificata, aliter poſſet appellare de inſufficientia temporis, ſi non eſſet competens, ſicut appellarunt de vno Legato Apoſtolico ad Pontificem illi Religioſi, de quibus in *Cap. 2. de dilationibus*. Quia terminum ſibi nimis breue peremptorium ſtatuit; & ideò *Cap. hortamur 3. q.9.* mandatur Iudicibus: *Competentem legibus, & veritati terminum detis* - nimis longum,nec debet concedere, quia eſt in præiudicium Iuſtitiæ.

In fine autem notificationis grauaminum debet Prælatus præcipere Reo in virtute Sanctæ obedientiæ, vt ipſam recipiat, & in termino tanti temporis reſpondeat clarè, & directè; Notarius autem notet in proceſſu Actum, diem,& Menſem, ſubſcribat, deindè reſponſiones, & defenſiones Rei.

De

De Probationibus, & quantum ponderis habeant Confeſſio Rei, euidentia facti, præſumptiones, & de ratificatione Teſtium.

CAP. XII.

VAldè neceſſaria eſt probatio, quia ſine illa non datur verum iuditium; à multis autem deſumitur iuditialis probatio. Primo à depoſitione Teſtium, Secundo à confeſſione Rei. Tertio ab euidentia Facti. Quarto à ſcripturìs. Quinto a præſumptione, et inditijs; ex quibus poteſt deſumi, aut plena, aut ſemiplena probatio. Plena eſt quando Iudex ex illa habet plenam notitiam veritatis; ſemiplena autem eſt illa, ex qua trahitur notitia, ſed cum aliqua dubietate veritatis, & in primis loquendo de probatione Teſtium. Si Reus præſentet teſtes quoad aliquem articulum

in ſui defenſionem, & determinat interrogatorium eis faciendum, ſecundùm illud debent examinari ſicuti ſuperiùs dictum eſt de informatione Summaria; ſed ſi Reus, vel Procurator ipſius non dat interrogatorium, ipſe Prælatus tamquàm Pater communis debet ipſum facere, & aduertant Prælati, quod omnes exhibitos teſtes debent examinare, ſunt enim de eſſentia iuditij, immò nec Reus poteſt renuntiare Teſtibus in ſui fauorem exhibitis, maximè ſi eſt in cauſa criminali. *Vbertus in praxi Inquiſit. ver. defenſiones §. nota etiàm*. Imò ſi Prælatus aduerteret, quod Reus, ſeù ipſius Procurator aliquid relinqueret, quod præſtaret ad ſui defenſionem, tamquam Pater extraiudicialiter poteſt monere, & aduertere.

Si Reus, vel denuntians præſentaret Teſtem in alio Conuentu morantem, Prælatus debet committere Prælato, aut Superiori illius Conuentus, ipſique mittere

in-

interrogatorium, vt ſecundùm tenorem illius accipiat, & remittat depoſitionem ſubſcriptam ab ipſo, eo Teſte iurante, &c.

Teſtes qui cum iuramento depoſuerunt in Summaria informatione neceſſe eſt, vt iterùm deponant in plenario Iuditio, aut ſaltem Notarius legat coram ipſis ipſorum depoſitiones, quas confirment; aliter eſſent nullæ, illæ factæ, antè Citationem Rei ſecundùm ius, *Cap. veniens el. 2. de teſtibus & l. ſi quando tit. eod.* & eſt ſententia communis Doctorum, quam debemus obſeruare etiam in Iuditio plano Religioſorum, cum ſit ſecundum ius naturale examinare teſtes citata parte. *Farinaccius tom. de teſtibus q. 72. cap. 2.*, quia in virtute ſolius ſummariæ informationis Reus, nec poteſt torqueri, & ſufficit tantum, vt poſſit Reus citari. Imò ſi aduerteret, aut dubitaret, quod inter teſtes eſſet aliqua conſpiratio contra Reum, non ſufficeret rati-

ficatio ipſorum, ſed deberet itè-rum exactè examinare etiam circa circumſtantias, & tempus,& ſi Procurator Rei vellet eſſe præſens, poſſet permittere. In ratificatione autem, ſi Teſtis vult aliquid addere, aut Iudex interrogare, Notarius addet, ad talem articulum, additum, reſpondit ità, & ita, ſubſcribendo ſuum nomen, ſub quo ſimul ſubſcribat Prælatus, & Notarius. Verùm tamen eſt quod *fr. Ioſeph à S. Maria tract.* 4. *c.* 10. *§.* 3. *Villalobos* 2. *par. tract.* 17. *difficul.* 7. *n.* 5. abſolutè docent, quod inter Religioſos non ſit neceſſaria iſta ratificatio teſtium, ſed pro ſecuritate proceſſus melius eſt ratificare.

Probatio plenaria tam in Ciuili, quàm in criminali negotio fit ſufficientèr per duos Teſtes omni exceptione maiores, *vt ex Cap. in omni negatio, & cap. licet vniuerſis de teſtibus*; Teſtis autèm omni exceptione maior eſt ille, cui ex vlla parte non poteſt minui fides,

vt

Vt ex *Gloſa Ver. Maiores*, *in cap*. I. *de conſanguin. & affinit.* & ideò cum vno ſolo teſte etiam ſi ſit gradu, & qualitate fide digniſſimus, non ſit ſufficiens probatio, Numerorum *cap*. 35. ad vnius teſtimonium nullus condemnabitur, & etiam ſi Ius *in cap. Præſul.* 2. *quæſt*. 5. *in Cauſis* Contra Clericos, & Prælatos ſeptem Teſtes requirat, Iulius tamen *Clarus apud Leſſium lib.* 2. *de Iuſt. Cap.*30. *dub.* 4. *n*. 27. docet quod in praxi duo tantum ſufficiant.

Vt autem ſint duo neceſſe eſt, quod deponant de eodem facto, aliter eſſent ſingulares *Cap. licet Cap. tam litteris extra de teſtibus*: & vt ſint conteſtes debent conuenire in tempore loco, & ſpecie delicti, aliter teſtificarent de differentibus actionibus, & nihil probarent; erunt tamen conteſtes ſi conueniant in ſubſtantia, & diſconueniant in aliquo accidentali, quia poteſt hoc ſuccedere ex obliuione. Eſt ſententia Commu-

nis apud *Antonium Gabrielem lib.7. commun. Contra commun. concl.* 4. *n.* 15. Imò ſi Teſtes in toto conuenirent etiam in verbis, aliquod argumentum eſſet conſpirationis contra reum, & perconſequens ſuſpect. *l. Teſtium* §. *ideoquè ff. de Teſtib.*

Teſtes qui ſucceſſiuè per foramen vnus poſt alium viderent idem delictum, non reputantur ſingulares, ſed conteſtes, quia teſtantur eodem actu moraliter continuato. Imò etiam ſi in differenti tempore viderent dummodò actus delicti ſit continuatus: Vt autem teſtes plenariè probent delictum requiritur, vt aliquo ſenſu videlicet oculo, aut aure ipſum perceperint *l. ſola c. de teſtibus, Cap. ſi teſtes* §. *ſolam* 4. *q.* 4., His enim duobus ſenſibus tantum poſſunt eſſe certi alicuius actionis, vndè ſi deponant teſtes ſe audiuiſſe ab alio, qui delictum vidit, non probant plenariè, vt benè diſcurrit *Leſſius lib.* 2. *c.* 30. *dub.* 4.

4. *n.* 32. etiam ſi eſsent multi teſtes; imò nec ſufficerent ad talem præſumptionem, vt propter illam Iudex poſſit torquere Reum, Sic *Farinaccius de Teſtib. q.* 61. *art.* 9. Solummodò teſtes de auditu probant in Cauſis Ciuilibus, quando teſtantur de rebus antiquis quorum non ſit memoria hominum, in contrarium *l. ſi arbiter ff. de probat.*, ſpecialiter quando de illa re ſit fama inter homines.

Non ſufficit, quod teſtes dicant ſe ſcire talem commiſiſſe delictum, niſi declarent quomodo hoc ſciant, aliter nihil probant *l. ſola.* C. *de Teſtib.*

Teſtes ſingulares multis modis poſſunt Contingere.

Primo quandò teſtes ſe contradicunt, vnus negando, quod alius affirmat, aut affirmant res inter ſe repugnantes, & in tali caſu non merentur fidem, imò eſsent puniendi.

Secundo quando licet non ſint Contrarij inſubſtantia, tamen di-

ferentem actionem deponunt, qui etiam ſi ſinguli ſint omni exceptione maiores non cauſant, niſi ſemiplenam probationem.

Tertio quando deponunt diuerſas actiones, ſed quæ habent connexionem inter ſe, vt ſi quis dicat, quod viderit Religioſum cum vna fœmina malæ famæ in occulto, & ſuſpecto loco loquentes; alius quod inuicem ſcribant literas amatorias; alius quod Religioſus det ipſi donaria, quia iſta omnia habent connexionem ad eundem finem faciunt pluſquam ſemiplenam probationem in cuius virtute poteſt Reus torqueri, aut puniri pæna arbitraria. *Baldus Supra Cap. licet Cauſam, de probat.*

Probantur tamèn plenariæ etiam per Teſtes ſingulares illa delicta, quæ aliter non poſſunt probari, inter Religioſos, vt ſi diſerentes ſocij alicuius Religioſi deponant tanquam teſtes oculati de ipſius mala amicitia cum muliere, quando ſingoli Comitabantur.

Caiet.

Caietanus 2. 2. *q.* 70. *art.* 1. *& eſt* communis ſententia,

De iure naturæ ſunt idonei teſtes omnes, qui habent vſum rationis. Tamen per Ius Canonicum, & ciuile multi declarantur ſuſpecti. Videlicet Inimicus, pauper ſeruus, amens, mente captus, mulier, puer, periurus, infidelis, infamis, amicus, in carcere detentus, domeſticus, aut familiaris accuſatoris, ac denique quicumque habeat aliquid in ſe, quod poſſit parere ſuſpicionem. De his omnibus tract. *Miranda in ſuo ordine Iudiciali q.* 17. *ar.* 3. *&c.*

Aduertendum tamen eſt, quod quando delicta ſunt difficilis probationis, vt ex: gratia. Furtum, datum venenum, traditio, Simonia, adulterium, & ſimilia, eſt communis opinio DD. quod poſſint admitti teſtes reprobati per Ius. Farinaccius *tract. de Teſtibus q.* 92. Similiter quando delictum fuit commiſsum in tali loco, vel tempore in quo veriſimiliter non

poſſit adeſse copia teſtium, vt ſi fuerit factum in monte, in loco ſecreto, vel de nocte. *vt in cap. fin. de teſtibus cogend.*, dummodò teſtes reprobati à Iure non ſint inimici Reo, qui non debent habere fidem etiam in iſtis caſibus ex Anton. Gomez. *lib.* 3. *variar. Cap.* 12. *num.* 21.

Similiter ſunt admittendi teſtes reprobati, quando ſe præſentant in defenſionem Rei, vt ex Iure argum. *Text. in l. literas de præſumptionibus*, tamen non habent vim plenæ probationis, & ad arbitrium Iudicis relinquitur ipſorum fides, vt dicit *Iulius Clarus q.* 24. *n.* 20.

Aduertendum tamen eſt quod ſi duo Teſtes eandem rem affirment vnus omni exceptione maior, & alius cum aliqua exceptione, dummodo exceptio non ſit ex illis, quæ omnem adimunt fidem, de quibus infra dicetur, fides quæ primò debetur, ſupplet pro defectu ſecundi, vt plenariè

pro-

probent.*ſic Farinaccius q.62.à num. 328. & alij.*

Aliqui auctores docent, quod quando exceptiones teſtium non ſunt contra ſubſtantiam Iuris, Prælati regulares non tenentur ipſas obſeruare, & ita poſſunt admittere quoſcumq; teſtes dummodò ſint capaces rationes,ſi aliter non poſſunt probare veritatem, ſic fr. Ioſeph de Sancta Maria *tract.* 4. *c.* 6 *à* §. 1. & allegat *Ouardum in* 4. *diſt.* 19. *pag.* 784. limitanda eſt tamen iſta doctrina, dummodo, videlicet teſtes non habeant exceptionem contra Ius naturæ E.G.niſi ſint Capitales inimici Reo, & conſtet, quod contra ipſum conſpirauerint, vel ſint noti periuri, vel amentes, iſtæ enim exceptiones de Iure naturæ tollunt omnem fidem, & Prælatus ſcientèr ipſas admittens peccaret quia debet ſe gerere ſimul tamquàm Iudex & Pater pro Reo, *vt ex Cap. per tuas de ſimonia.*

Similitèr aduertere debet Præla-

latus, quod quando admittit teſtes habentes aliquas exceptiones, licet non ſint Contra Ius naturæ debet ſupplere pro illis, multiplicando numerum ipſorum, ità vt non ſit contentus duorum tantum. Relinquitur tamen numerus ad arbitrium eiuſdem Prælati; vt *Felinus in cap. teſtimonium n. 5. de Teſtibus* quia vt *l. teſtium §. ideoque ff. de teſtib.* loquens cum Iudice, ait Tu magis ſcire potes quanta fides adhibenda ſit teſtibus, & cuius dignitatis, & cuius exiſtimationis, & qui ſimplitèr viſi ſunt dicere.

Vnicus Teſtis omni exceptione maior facit ſemiplenam probationem. Duo habentes aliquam exceptionem, dummod ò non ſit ex illis contra Ius naturæ faciunt ſemiplenam probationem, vt *Alderete lib. 2. c. 8. n. 2.*

Vnicus Teſtis ſufficit ad plenam probationem in aliquibus Caſibus, primo, quandò deponit ad euitandum aliquod malum, vt

ſi

ſi deponeret impedimentum dirimens, poſſet Prælatus matrimonium impedire, *vt cap. ſuper eo 2. de teſtibus*, & ita non male facit Prælatus, quandò ad dictum vnius fide digni remouet vnum Religioſum denuntiatum in re graui de vno Conuentu ad euitandum ipſius malum, dummodo hoc faciat ſine ipſius infamia. Secundo ſufficit vnicus Teſtis, quando ex ipſius dicto nihil mali reſultat contra tertium, vt ſi aliquis diceret, quod talis ſit confeſſus in Quadrageſima &c. *Felin. Cap. cum contingat n. 3. de reſcript.*

Semiplenam probationem facit Scriptura ipſius Rei etiam ſi ab ipſo negetur pro ſua, dummodò periti in arte pro ſua ipſam iudicent *l. Inſtrumentac. de probat.* de qua infra; ſemiplenam probationem faciunt etiam præſumptiones, & inditia grauia.

Similitèr infamia, quod male aliquis in aliqua re ſe geſſerit, æquiualet enim hæc dicto vnius

te-

teſtis. *vt cap. illud de præſumptionibus*. Vide *Antonium Gomez.tom. 3. variarum Cap. 13. n. 10.* infamia tamen debet eſſe probata per duos Teſtes ſaltem, & de perſona ſuſpecta; de perſona enim bonæ famæ non ſufficerent, niſi eſſent inditia contra ipſam de qua Miranda *q. 26. art. 5.*

Semiplenam probationem facit etiam fuga Rei, ſi fugat antequam accuſetur, vel à iuſtitia requiratur. Iulius Clarus *§. §. fin. q. 21. ver.* fuga: Etiam ſi aliqui dicant in contrarium & ſi debeat admitti aliqua excuſatio de ipſius fuga, ſi voluntariè redeat, erit ſufficiens excuſatio, vt dicetur inf. cap. 16. de Tortura.

Depoſitio Complicis, & confeſſio extraiudicialis Rei an habeat vim ſemiplenæ probationis dicetur infra.

Teſtes quandò legitimè interrogantur à Prælato, quia præceſſit infamia, vel aliud æquiualens, vt dictum eſt, ſub pœna

pec-

peccati mortalis, obligantur reſpondere veritatem, aliter eſſet contra Iuſtitiam, & caritatem, vt DD. Communiter cum *S.Tho.*2.2. *q.* 70. *ar.*1. ſi autem Prælatus non legitimè, nec iudicialitèr interroget, poſſunt vti æquiuocatione, vt veritatem occultent, vt DD. Communiter, niſi interrogentur de delicto contra publicum bonum Reipublicæ, aut perſonæ tertiæ. vt *Miranda q.* 16. *ar.* 1., aut in fauorem tertij, vt euitet graue damnum, ad hoc enim obligarentur in conſcientia, imò teſtis tenetur ſe offerre, quando ſit ſe profecturum, nec ipſi nullum graue damnum euenturum. Ita *S. Th.*2. 2. *q.* 70. *ar.* 1.

Verum tamen eſt, quod ex iure multi non poſſunt obligari ad veritatem fatendam contra reum in cauſis criminalibus videlicet aſcendentes, & deſcendentes ipſius vſque ad quartum gradum excluſiuè, nec maritus, nec vxor, nec ſocrus, nec nurus, *vt l.* 4. *ff. de*

Te-

Teſtib. & ſi coacti ſunt iurare, nullum habent valorem ipſorum depoſitiones. Vt *Antonius Gomez. tom. 3. variarum c. 12. n.* 14. excepto crimine hæreſis. Vt ſimancus de Catholica inſtitutione, tit. 64.n.46.: Si tamen crimen non poſſit aliter probari niſi ipſorum dictis, poſſunt Compelli ad iuramentum, & ad veritatem dicendam. Vt cap. peruenit el. 2. de teſtibus cogendis, & eſt doctrina communis cum *Nauarro in manuali Cap.* 25. *n.* 48.

Confeſſio legitima, & iudicialis ipſius Rei, eſt principalis probatio in Iure, & pleniſſimè probat delicta, & qua ſola poteſt condemnari: *Cap.* 12. *q.* 1. *l.* 1. *Vide Maſcardum de probat. t.* 1. *q.* 7.*n.*7. Confeſſio tamen extraiudicialis Rei cum duobus teſtibus probata, valet pro ſemiplena probatione, vt dictum eſt. Si verò Reus poſitus in Iudicio dicat, & probat, ſe erraſſe in dicta confeſſione, ipſam reddet inualidam. vt

Fe-

Felinus Cap. olim n. 2. de reſcript. Et ſi confeſſionem extraiudicialem ſtatim retractet, & reuocet, nullum habet valorem. Maſcard, *vt ſupra n* 8.

Euidentia Facti probat pleniſſimè delictum, ſi fuit coram Populo *capite enidentia de accuſat:* & idem eſt quando Iudex à multis comitatus inuenit delinquentem infraganti delicto. *Gloſ. in ver. depræhenſi in cap. ad abolendam de hæret.*, & idem eſt quando inuenit Reum in actu proximo ad delictum, de quo non poſſit dubitari *Felinus vt ſupra n:* 5. Si autem inuenit ipſum in actu remoto, facit præſumptionem maiorem, vel minorem ſicuti magis, & minus eſt remotus ab actu delicti, & dat valorem ſemiplenæ probationis Vide *Farinaccium tom. 1. q. 21. n.* 162.

Similiter plenariè probatur delictum, quando multi ſimul inueniunt Reum infraganti, & publicant ipſius delictum *Alderete*

lib.

lib. 2. Cap. 6. in fine. Tunc enim eſt crimen Notorium, quod poteſt puniri.

Publica Scriptura probat etiam pleniſſimè delictum, quia ſupplet abſentiam, aut carentiam teſtium, ſicuti etiam ſunt publici libri Conuentus dati, & accepti. Maſcardus *tom. 1. con. 460. n. 35.*

Scriptura priuata ſicuti ſunt epiſtolæ, vel libelli infamatorij, ſi Reus recognoſcit in Iuditio tamquam propriam pleniſſimè probat delictum. *Maſcardus tom. 1. Con. 109. n. 2.* Si autem Reus negat eſse ſuam, & duo Teſtes deponant ſe vidiſſe reum ipſam ſcribentem, pleniſſimè probat. Idem *tom. 1. con. 110. n. 9.* ſi verò non adſint teſtes oculati, ſed tantùm duo Periti in arte iudicent, facta comparatione cum alia rei Scriptura, eſse ſuam ſemiplenè tantùm probabit *l. Inſtrumenta c. de probatione*, & eſt Communis, licet *P. Aldercte lib. 2. c. 5. n. 6.* doceat poſse tam euidenter probari Scri-

ptu-

ptura, comparatione alterius, vt poſſit pleniſſimè probare delictum. Hæc tamèn ſententia non eſt ſecurè ſequenda, quia inueniuntur tam excellentes in hac arte falſificandi Scripturas, vt ſæpè peritos eludant. Et maximè in Cauſis criminalibus probationes debent eſse luce clariores, vt ex *Cap. ſciant cuncti 3. q. 1.* verum tamèn eſt, quod ſi iſtæ ſcripturæ, aut literæ fuerint inuentæ apud ipſum Reum, aut Teſtibus probetur quod ipſe dederit alijs, facient pluſquam ſemiplenam probationem; imò plenam ad arbitrium Iudicis, vt docet *Menoh. Caſu* 114. *n.* 6., & ſaltèm ex tali probatione, iuridicè Prælatus interrogans Reum conſtituit ipſum in obligatione verum fatendi.

De præſumptionibus autèm loquendo, Præſumptio eſt exiſtimatio, quæ ex veriſimilibus inditijs ſiuè coniecturis Colligitur. *Abbas in Cap. 3. loco de probat.* Tribus autem modis poteſt dari.

Pri-

Prima eſt. Præſumptio iuris, quæ eſt Coniectura, quam Ius facit in rebus dubijs, vt eſt illa regula. Semel malus ſemper præſumitur eſſe malus; Admittit tamen Ius in hoc probationem in contrarium. Secunda eſt quæ vocatur Iuris, & de Iure, & eſt illa qua ius aliquid præſumit ex claris inditijs, & tam quam certum determinat aliquid faciendum contra quam determinationem mandat non admitti probationem *Cap.* 15. *Qui fidem, vbi Gloſa, & doctores de ſponſalibus Cap. per tuas de Conditionibus apooſitis.* Vt E. G. *in cap. Vidua de regularibus*, determinatur, quod vidua, quæ propria voluntate recepit velum, & inter moniales obtulit dona, habuerit intentionem profitendi, quod perſeueret in illo ſtatu, & contra non admittatur probatio: Et contra periurum, quod non admittatur in teſtem cum ſemper talis debeat præſumi, *Cap. teſtimonium extra; de Teſtibus*. Ex iſtis deſumitur.

Ter-

Tertia præſumptio, & dicitur præſumptio hominis, & eſt illa, quando aliquis ex vna actione alterius prȩſumit, quid ſit facturus in alia actione, quæ præſumptio remittitur Iudicis prudentiæ: Quia autem præſumptiones ex Inditijs proueniunt, ſciendum eſt, varias eſſe Inditiorum differentias videlicet. Inditia grauiſſima, ſeù Inditia neceſſaria, ſeù inditia vehementiſſima, ex quibus neceſſariò prudens homo deducit delictum, vt ſi vir, & mulier ſimul in vno lecto inueniantur nudi, neceſſariò colligitur delictum fornicationis, & ſunt puniendi pœna ordinaria. Conſtat ex *Boerio deciſ.* 164. *n.* 3. Et ità ius diſponit in *Cap. literis de præſumpt;* quod detur ſententia diuortij contra coniugatam inuentam modo quo ſupra dictum eſt, cum alio viro. Secunda Inditiorum differentia. Eſt inditium grane, & proximum, quod tamèn non habet neceſſariam Connexionem cum delicto ſicut vehemen-

mentiſſimum, Cauſat tamèn ſuſpicionem grauem, ex quo Colligitur ſemiplena probatio ſufficiens ad torturam, de qua *Menochius de arbitrar. Caſ.* 270.

Vt ſi inueniretur in domo vnus occiſus vulneribus, & eodem tempore Petrus videretur exire ex illa domo enſe recenti Sanguine madefacto, & euaginato, certum eſt, quod graue inditium eſſet contra Petrum, imò in tali Caſu poſſet ſimul concurrere circumſtantia talis, quæ inditium redderet vehementiſſimum, & neceſſarium, vndè Iudicis prudentia ſimul circumſtantias debet aduertere. Tertia Inditiorum differentia. Eſt inditium leue, ex quo etiam leuis præſumptio reſultat, Vt ſi in aliqua domo furtum appareret eo tempore, quo tantum vnus Religioſus domi manſiſſet leue inditium eſſet contra ipſum, quod licet inter ſæculares ſufficeret, vt in Carceribus detineretur; non ſufficeret inter Religioſos, contra

quos

quos requiritur maior præſumptio.

Præſumptiones, & inditia, quæ ſunt grauiſſima, & vehementiſſima duobus Teſtibus probata, pleniſſimè probant, vnico verò Teſte probata, ſemiplenè probant, vt DD. Communiter. Grauia vero inditia duobus Teſtibus probata, ſemiplenam faciunt probationem, vt dictum eſt; Si vero vnico tantùm Teſte non ſufficeret, niſi aliquo alio adminiculo adiuuaretur, quod relinquitur prudentiæ Iudicis. Bartolus, Iulius Clarus, Menocchius, & Farinaccius, & communiter.

Interrogatorium in homicidij delicto hoc modo debet fieri. Probata infamia per viam accuſationis, vel denuntiationis, & poſito Reo in Carceribus præſentatis Teſtibus debent interrogari. Primo an cognoſcant Reum, & quomodò, ſimiliter an occiſum agnoſcant, & ſciant eſſe occiſum. Secundo ſi habent aliquam exce-

ptionem iuris, qua prohibeantur teſtari, de quibus ſupra dictum eſt hoc eodem cap. Tertio ſi ſciant reum occiſorem, ex aliquo tempore demonſtraſſe malum animum contra occiſum verbis, & factis, quoties, & quomodò. Quarto ſi ſciant fuiſſe ex hoc motiuo à Superioribus punitum. Quinto ſi ſciant verbis oſtendiſſe animum ad vindictam, & ſe declaraſſe. Vltimo ſi ſciant talem Religioſum detentum tamquàm Reum, tali die, hora, vel nocte tali inſtrumento vulneraſſe, & occidiſſe talem Religioſum N.

Si Interrogatorium fieret in Cauſa incorrigibilitatis dicant, an ſciant, quod talis Religioſus N. ſæpè deliquerit in tali materia, & quod ſæpè à ſuis Superioribus correctus, & punitus, nunquam reſipuerit, & an nullam habeant ſpem emendationis, & an iudicent ipſum incorrigibilem, ſeruatis tamen decretis Sanctiſſimi D.N. Vrbani Papæ VIII.

Mo-

Modo ſimili poteſt ordinari interrogatorium in quolibet delicto, & lectis, in fine, depoſitionibus à Notario debent confirmari à Teſtibus, & ab ijſdem ſubſcribi, ſubſcribente ſimul Prælato, & Notario.

De Exceptionibus, quas Reus ſolet ponere intra terminum probationis, vel contra Iudicem, vel contra Teſtes, vel cont. &c.

C A P. XIII.

SVpponendum eſt, quod licet detur terminus Reo ad probandum, vel ſe defendendum, etiam elapſo termino, dummodò non ſit pronuntiata ſententia, ſemper poteſt exponere, quæ ſunt in ſuam defenſionem. *Textus in l. vnius §. cogniturum verſ. Quamuis ff. de queſtion., & ibi Gloſ. Ordin.*

 etiam

etiamſi renunciauerit propriæ defenſioni, & termino probationis; Hæc enim non valent in præiudicium propriæ perſonæ, & ſtatus. *Argument. Textus in l. liber homo*, & alibi, quod tamen eſt admittendum in cauſis grauiſſimis, quia in minoribus valet talis renunciatio: *argum. Text. in l. ſi quis in conſcribendo C. de pactis. Antonius Gomez variar. tom. 3. Cap. 13. à n. 33.* ex quo colligent Prælati quomodo debeant procedere in hac materia.

Supponendum ſecundo quod exceptio eſt actionis excluſio *ex l. 2. ff. de exception*: Multæ autem ſunt exceptiones. Prima dicitur Dilatoria, quando ſcilicet dilatatur Cauſa, vt quando declinatur Iuriſdictio, Forum, & Iudex, Secunda dicitur Peremptoria, qua probata, nullam habet vim accuſatio, ſeù accuſator. Vt quando probatur, quod delictum iam fuerit ab alio Iudice punitum. Tertia dicitur mixta, quæ partici-

ci-

cipat de prima, & ſecunda, vt quando probatur quod Iudex ſit inſufficiens, quia excommunicatus. Prima exceptio debet poni antè conteſtationem cauſæ. Secunda, & tertia poſt conteſtationem cauſæ, vt communiter DD. *in l. fin. C. de exception.*

Prælatus, ſeù Iudex poteſt recuſari tamquàm ſuſpectus à Reo. *Vt ex Cap. quod ſuſpecti 3. q. 5.* Cauſæ autem ſunt. Prima ſi eſt inimicus Reo, aut ſpecialis amicus actori, vt ſi reus cum Iudice habuerit iurgia&c.in cauſis tamen grauibus. Secunda ſi Iudex eſt conſanguineus, vel affinis alicuius partis. Tertia ſi in alijs cauſis inhumaniter ſe geſſerit cum partibus, & non obſeruauerit ordinem Iuris *cap. ad hæc de reſcript.* Quarta qui declarauit ſuam intentionem, & votum in fauorem alicuius partis antè ſuſceptam cauſam, aut minatus eſt parti, quæ ipſum recuſauerit. Vt colligitur *cap. quod ſuſpecti.*

Omnes tamen iſtæ exceptiones ſunt leues, & inter Religioſos non admittendæ. Præter primam videlicet, ſi fuerit Inimicus Reo, aut conſanguineus actori. Eſt enim res tam odioſa inter Religioſos iſta recuſatio Iudicis Prælati, quod vt iuſtificetur debet habere multas circumſtantias. In primis debet exponi cauſa quarè recuſetur in ipſamet petitione, *Cap. cum ſpeciali, iuncta gloſa de appell. in 6. c. ſi contra vnum, de officio deleg. in* 6. nec ſufficit ſolùm iuramentum, ſicut in Tribunali ſæculari. In Viſitatione tamen generali alicuius domus Religioſæ nullus Generalis, aut Viſitator poteſt recuſari etiam ſi ſit ſuſpectus, vt declarauit Paulus V., cuius decretum habetur apud *Barboſam In Remiſſionibus ad Trident. Concil. ſup. ſeſſ.* 24. *Cap.* 10. *de Reformat. n.* 4., & ratio eſt, quia ex Generali inquiſitione nullus remanet infamatus, aliter quilibet poſſet impedire officia Superiorum.

In

In iudiciali autem inquiſitione, quando motiuum recuſationis eſt friuulum. Iudex Prælatus proſequetur ſuam cauſam, tanquam motiuum nullum, vt DD. communiter docent, & eſt in praxi, & determinauit Alexander 3. *Cap. ſuper eo 12. §. in Cauſis, de appellat.* Eſt autem friuola, quando Reus ſinè iuſto motiuo timet de Iudice.

Caſu autem quo Iudex æſtimet iuſtam recuſationem, debet ceſſare à cauſa, & ſi Iudex eſt ordinarius, ſeù delegatus ad Vniuerſit. cauſar. debet alteri non ſuſpecto cauſam cõmittere: *Vt cap. ſi quis contra Clericum de foro competenti.*

Si autem eſt dubia Cauſa recuſationis, aut poteſt Cauſam committere, vt dictum eſt; Si autem ipſe vult Cauſam proſequi, ſi cauſa habet partes, partibus debet præcipere, vt nominent Iudices arbitros, qui iudicent ſi recuſatio ſit iuſta, nec nè: ſi autem ſit Cauſa inquiſitionis particularis,

ipſe Prælatus debet deputare pro ſua parte Iudicem arbitrum, & Reo mandare, vt intra determinatum terminum pro ſua parte, nominet alterum arbitrum, & iſti duo iudicent, & ſi iſti non ſe conformauerint in Iudicio, Prælatus Iudex debet ipſos compellere, vt tertium nominent, cum quo iudicent, & ſi non nominauerint, aut ſententiam diffinitiuam non protulerint intra terminum ipſis determinatum, Prælatus Iudex poterit proſequi ſuam cauſam, ac ſi recuſatio non fuiſſet facta, ſicuti debet facere, ſi determinarent recuſationem non eſſe legitimam: Si vero determinarent eſſe legitimam debet Prælatus committere cauſam alteri de conſenſu ipſius Rei, quod ſi Reus non conſentiat in perſona nominata, cauſa debet reduci ad Generalem, qui Iudicem deputet. *Ita cap: cum ſpeciali de appellat.* vel ſi in hoc ſit aliqua difficultas poterit dictus Prælatus ordinarius, aut delegatus ad Vniuer-

uerſitatem cauſarum ſibi adiungere ſocium non ſuſpectum, cum quo faciat proceſſum, & ſententiam ferat.

In caſu autem, quod Iudex ſit delegatus ad cauſam tantum particularem, ſi recuſatio ipſius ſit friuola, poterit, vt dictum eſt, cauſam proſequi; ſi verò fuerit legitima, aut dubia, debet delegatus remittere cauſam deleganti, vt alium nominet, qui aut faciet Cauſam, aut ſententiet, an recuſatio delegati ſit iuſta, vel non, & colligitur *ex Gloſ. in §. de recuſator. Cap. Cum ſpeciali de appellat.*

Si cauſa alicuius partis fuerit videnda in Definitorio, aut in conſulta coram Generali, & pars recuſauerit aliquem ex definit. aut Conſultoribus ſi cauſæ non ſunt friuolæ, excluſo recuſato, cæteri definitores, aut Conſultores debent illas examinare, an ſint iuſtæ, ſi ſunt, debent mandare parti, vt illas probet, ſi non ſunt iuſtæ, aut illas nō probauerit pars, recu-

ſatus cum cæteris Definitoribus, aut conſultoribus debet proſequi cauſam, & ferre ſententiam, & pro iniuſta, aut non probata recuſatione parti pœnam grauem infligere; quod ſemper obſeruabitur in qualibet recuſatione.

Contra accuſantes poteſt fieri exceptio ab accuſato. Et eſt, quod contra ipſum conſpirarunt, aut coniurarunt: Conſpiratio autem eſt conuentio multorum in vnum contra aliquem: Eſt autem conſpiratio bona, & mala: Bona eſt quando ex motiuo zelus diuini, & boni publici fit ad punitionem verè delinquentium; mala verò quando inter ipſos determinatis denuntiatore, & teſtibus falſum delictum alicui Religioſo imponunt. Vide *Menocchium de arbitrar. Caſ.* 301. Si delictum, in cuius odium fuit facta conſpiratio, probetur eſſe verum, conſpiratio iudicatur bona probatio tamen delicti non eſſet facienda depoſitionibus conſpiratorum, ſed a-

liun-

liundè, *vt in Cap. Cum i. & A. de ſenten., &. re iudicata*; Et in hoc caſu, Reus non liberabitur à pœna ſui delicti; ſi verò conſpiratio probetur, & quod falſum delictum imputauerint, quia aliundè non fuit probatum, conſpirantes erunt ſeuerè puniendi. *Vt cap. ſi quis Cleric.; cap. Coniurationis* 11. *q.* 1. Inter Religioſos erit pœna arbitraria, & grauis. Quando conſpiratio probatur; delictum verò imputatum non plenè probatur, ſed remanet in dubio, conſpiratio præſumetur mala, & conſpiratores erunt puniendi, tamquam perturbatores pacis. *Vide Syluestrum, ver. Confraternitas conſpiratio, & coniuratio.*

Fortior exceptio quam poſſunt ponere Rei, Eſt exceptio peremptoria, quando Reus probat, quod tempore delicti imputati, non erat Reus in illo loco, aut eodem tempore, & hoc Teſtibus probando, remanet eneruata accuſatio. *ex Gloſ. in cap. bona ver.*

ſacti naturam de elect.de quo videatur *Paz. tom.* 1. *p.* 5. *c.* 3. *§.* 6. *à n.* 64.

Actori poteſt dari exceptio præſumptionis, qua Reus purgat inditia, quæ ſunt contra ipſum, oſtendendo ſe ſemper vixiſſe cum bona opinione virtutis; Si tamèn delictum ipſius probatur, talis exceptio nihil valet. Videatur *idem Paz., vt ſupra*.

Alia exceptio eſt propriæ defenſionis, quia aggreſſus Reus, vt ſe defenderet, occidit aggreſſorem, & delictum, quod eſt in propriam defenſionem non eſt dignum pœna *l. vt vim, ff. de Iuſtitia, & Iur.*

Et ſic, qui occidit Clericum, vt ſe defendat, nec incurrit excommunicationem, nec fit irregularis. *Clement.* 1. *de homicidio.* Et defenſio eſt licita non ſolum in ordine ad propriam perſonam, ſed etiàm ad ſua bona, conſanguineos, & amicos. *Vide Nauarrum in Manuali c.* 24. *à n.* 15.

De-

Debet tamèn eſſe defenſio, cum moderamine inculpatæ tutelæ, ſcilicet; quod aliter non poterat effugere mortem, vt Textus in dicta Clement. 1.de Homicidio. Et ſic, qui videt inimicum euaginato enſe contra ſe venientem, non debet expectare, quod priùs ab ipſo vulneretur. *Vt gloſ. in dic l. 1. C. Vnde vi*: & etiam ſi aggreſſus excedat modum inculpatæ tutelæ occidendo aggreſſorem, non tamen debet puniri pœna ordinaria, ſed mitiori, quia vt dicit lex, qui cum maior §. *ſi libertus ff. de bon. liber.* Ignoſcendum eſt ei, qui prouocatus, voluit vlciſci. Ad probandam autèm propriam defenſionem admittuntur Coniecturæ, præſumptiones, & teſtes etiam Conſanguinei. *Vt Antonius Gomez. tom. 3. variarum Cap. 3. n. 27.* & communiter, & quando non tenetur fateri delictum poteſt illud negare, & etiam poteſt ſubiungere, & caſu quo delictum feciſſem, fuiſſet in pro-

priam

priam defenſionem; Quia ſi fateretur delictum, acceptaret Iudex propriam confeſſionem pro occiſo, & ipſi remaneret obligatio probandi, quod fecerit in ſui defenſionem, quod cederet in proprium damnum. De quo *Mirandæ queſt.* 21. *ar.* 6.

Etiàm eſt peremptoria, illa exceptio, quam poteſt ponere Reus, quod ſcilicet delictum iàm fuerit punitum per alium Iudicem, niſi pœna data, fuiſſet leuis in comparatione delicti. vt Colligitur *ex cap. Fælicis de pœnis*, & ità ſi Præpoſitus V. G. leuitèr caſtigaſſet graue delictum, poſſet Viſitator in Viſitatione iudicialitèr iterum illud punire. Videatur *ſimancas de Catholic. inſtitut. c.* 8. *n.* 4.

Vltima, & fortior exceptio eſt, quando Reus probat ſe non commiſiſſe delictum, de quo accuſatur, quod eſt difficile.

De

De publicatione Teſtium, & eorum exceptionibus.

CAP. XIV.

FActa à Teſtibus ratificatione ſuarum depoſitionum, & admiſſis eorum probationibus, & etiam exceptionibus factis à reo, ſequitur quod publicentur Teſtes. Aliqui Auctores docent, quod non ſit ſubſtantialis in iure iſta publicatio, & quod proceſſus remaneat in ſuo robore etiam non facta tali publicatione, & fundatur eorum ſententia *in Glos. in cap. fin. ver. Iudicis, de hæreticis lib. 6. Menocchius de arbitrar. lib. 1. q. 32.* ſententia tamen contraria eſt Communis DD. & colligitur *ex Cap. qualiter, & quando cl. 2, de accuſationibus §. debet.* Imò quod debeant publicari nomina Teſtium, vt reus poſſit illis exceptiones ponere ſi quas habet in ſui de-

defenſionem , docet Iulius Clar. *§. fin. q.* 49. *n.* 1. *Salzedo ad Bernardum Diaz. c.* 128. *l. C.* In cauſis tamen de fide mandat Ius , quod non publicentur nomina teſtium , nequè accuſantium *cap. vltimo de hæreticis lib.* 6. *P. Miranda q.* 23. *ar.* 1. *con.* 2. docet quod idem ſit faciendum in cauſis Religioſorum, quando ſunt criminales , quia in iſtis proceditur extraordinario modo , & de plano , & idem docet Ioannes de Sancta Maria *tract.* 4. *cap.* 19. *in fin.* , ſequentes *Paz. tom.* 1. *par.* 4. *temp.* 9. *n.* 170. ſed iſti non obſeruarunt *Cap. fin. de hæret.* vbi Bonifacius VIII. mandat , quod non publicentur nomina Teſtium in cauſis hæreticalibus; quãdo timetur graue damnum Teſtibus ob potentiam Inquiſitorum , ſubdit verò ceſſante periculo ſupradicto accuſatorum; Teſtium nomina , prout in alijs fit iudicijs, publicantur. & vult Ius quod etiam in dicto caſu publicentur nomina ſaltem

Epi-

Epiſcopo Dioceſano, & Gloſ. determinando quale debeat eſſe periculum,dicit,vel mortis, vel mutilationis membrorum Teſtium, vel conſanguineorum ipſorum, aut delapidationis ſuorum bonorum, & ſimilium. Videatur *iſta Gloſa verbo periculum*; & ceſſante tali periculo præcipit publicari nomina, *& in §. Cæterum*, & penultimo, Pontifex grauat in hoc conſcientias Inquiſitorum: Ergò non eſt ſequenda ſententia Mirandæ, niſi tribus limitationibus; Prima quando cauſa eſt de rebus ordinarijs, vt quando tractatur de remotione alicuius Prælati à ſuo regimine ob culpam inſufficientiæ, aut de culpis, quæ non relinquunt infamiã,non autem de culpis grauibus, qùia in iſtis debet fieri publicatio Teſtium, & ſi Reus vult ſcire nomina, debent dari:

Secunda limitatio eſt quando Teſtes ſunt ſæculares ſemper debent nominari cum ſuis depoſitioni-

nibus, quia ex hoc non reſultat illis periculum, nec familiæ Religioſorum perturbatio pacis.

Tertia limitatio eſt, quod in cauſis, in quibus ſit talis publicatio, Prælatus faciat officium Patris, & priùs interroget Reum an habeat inimicos, & ipſemet ſcrutetur an inter Teſtes, & Reum ſit odium, & cauſam odij ſiſcitetur, & ſi facile poteſt, tamquam aliquid aliud agens, curet in præſentiam Rei memoriam facere Teſtium, vt ſit in Tribunali S. Vffīcij, & præcipit Directorium Inquiſitorum 3. *par. tit. modi ſex traden. Copiam*; his limitationibus, poteſt ſequi, cum Farinaccio, & Menocchio, alitèr eſſet contra Ius naturale, & tolleretur Reo propria defenſio, qui neſciens ſuos accuſatores non poteſt illis dare ſuas iuſtas exceptiones, ſine quibus multi poſſent innocentèr damnari, ſicut ſæpè euenit ex inordinato Zelo Prælatorum. Modus autem ponendi exceptiones

nes Teſtibus aſſignatur ab Honorio 3. *Cap. præſentium de Teſtibus*; & conuenit etiam Religioſis, ſeruatis tamen ſupradictis limitationibus, & licet *P. Miranda* . 24. *ar.* 1. *Con.* 1. citet pro ſe Marantam de ordine Iudiciali, & Antonium Gomez docentes in cauſis ſummarijs, vt ſunt illæ Religioſorum non deberi publicari Teſtes, loquuntur iſti de illis cauſis ſummarijs, quæ fiunt ſine proceſſu, & citatione Teſtium. Aduertant autem Prælati, ne ſint faciles in admittendo tales exceptiones in præiudicium iuſtitiæ; Admittant autem hoc modo. Exceptiones non ſint in generali, V. G. non ſufficit dicere, quod teſtis ſit inimicus, ſed in particulari debet adducere rationes, & motiua inimicitia, & Prælatus dabit reo tempus determinatum, vt illa probet, exceptionibus autem in Generali factis, non exigat probationem, ſed proſequatur cauſam, ac ſi non eſſent factæ. Vt

do-

docet Boerius *deciſ.* 321., & alij multi. ſi contra ipſos dicatur, quod ipſorum dicta ſint de auditu, & de rebus ſine fundamento. *vt ex l. Teſtium, & ibi Gloſ. C. de Teſtibus.* Si in ſuis dictis ſunt varij, & ſingulares, *vt cap. licet Cauſam cap. tam litteris de Teſtibus*: Si non concludunt, nec dant rationem ſuorum dictorum *ex cap. in præſentia, de probationibus, & ibi Felinus n.* 13. Sed ſi reus præſentaret pro ſe Petrum, & Petrus diceret contra ipſum, Reus non poſſet Petro ponere exceptionem. Textus, & ibi Doctores *in l. ſi quis de Teſtibus*; quod tamen intelligitur de exceptionibus perſonæ non ſuorum dictorum. *vt ex lege ſi quis Teſtibus C. de Teſtibus.*

Non peccat Reus ſi opponit Teſti aliquod crimen etiam ſi ſit occultum, quod eneruet ſuam depoſitionem, & iuuet ſuam defenſionem, quam alio modo non poteſt facere; hoc enim eſt ſe defendere cum moderamine incul-

pa-

patæ tutelæ: Opponere autem crimen falſum, ſemper eſt peccatum mortale, de quo *D. Thom.* 2. 2. *q.* 70. *ar.* 3. *Miranda q.* 24. *ar.* 1.

Ergo cum poſſint, & debeant publicari Teſtes in Cauſis grauioribus, Reus, aut Procurator ipſius antequam eſpiret tempus conceſſum ad ſui defenſionem, debet præſentare petitionem Prælato, in qua explicato delicto, de quo Reus accuſatur, & quod iàm præſentauerit Teſtes in ſui defenſionem, ad maiorem ſuæ innocentiæ probationem petit, quod ius concedit, ſcilicet ſibi nota facere nomina accuſatoris, actoris, & Teſtium, & ea omnia, quæ contra ipſum dixerunt, vt poſſit, ſi habet, exponere contra ipſos in ſui defenſionem, alioquin proteſtatur de nullitate proceſſus, & ſubſcriptam. Notarius debet ponere in proceſsu, expreſſis nominibus procuratoris, & rei, menſe, & die factæ petitionis, ſi delictum

non

non fuerit graue, & infamatorium, itaut inter Religioſos non debeant publicari teſtes &c. Reſpondebit Prælatus mandando, quod detur ipſi, translatus eorum, quæ contra ipſum fuerunt depoſita, ſuppreſſis tamen nominibus accnſatoris, & Teſtium.

Si verò fuerit ex grauioribus delictis, & infamatorium, mandabit etiam publicationem Teſtium &c. contra quos Procurator, aut Reus præſentabit alteram petitionem in qua exponet, ſi quas habet exceptiones, dando Interrogatorium de illis, & præſentando teſtes ad eorum probationem, & concludetur petitio cum hac proteſtatione iurata, ſcilicet quod tales exceptiones non ex malitia exponit, ſed ex iuſtitia, & ad ſui defenſionem. Teſtes autem præſentati à Reo; Interrogentur priùs de eorum nominibus, an habeant notitiam cauſæ, an cognoſcant teſtes contrarios, deindè progrediatur ad

In-

Interrogatorium, & expletis depoſitionibus, & ſubſcriptis notificantur parti, ſed non publicentur nomina Teſtium. *De quo vide Paz. t. 1. p. 1. temp. 9. n. 32.*

De Purgatione Canonica.

CAP. XV.

PVrgatio Canonica eſt probæ æſtimationis ob impoſitum crimen maculatæ, legitima probatio à iure introducta ad ſatisfaciendum alijs. *ſic Hoſtienſis tit. de Purg. Canon.* de hac breuitèr dicetur, cum iam ferè non ſit in vſu, niſi in Trib. S. Inquiſitionis Rationes autèm, quarè non ſit in vſu, videantur apud *Bernard. Diaz. in prax. Cap. 99.*

In Criminibus notorijs, aut plenè probatis, aut confeſſis in Iudicio non datur locus purgationi Canonicæ. *ex Cap. cum dilectis de purg. Canon.*

Ne-

Neque in delictis, in quibus eſt accuſator *Cap. Nos inter alios de purg. Canon.*

Eſt autèm locus purgationi, quando Reus eſt infamatus publicè de aliquo delicto, & infamia procedit ex viris benè intentionatis, ſed non poteſt conuinci de tali delicto, neque eſt accuſator: *cap. inter ſollicitudines, de purg. Canon.*

Similitèr datur locus, quando eſt ſemiplena probatio Contra Reum ſolummodò. *Cap. inter ſollicitudines de Purg. Canonica.*

Puto autem, quod hodiè poſſit tantum poni in praxi quando Reus grauiter infamatus de delicto in inquiſitione particulari non potuit plenariè conuinci; ſufficienter tamen, vt poſſet torqueri, ſed propter ſcandalum relinquendo torturam, poſſet ipſi mandari purgatio Canonica. Sic *Leſſius lib 2. c. 29. dub. 17. n. 169.*, licet etiam in hac videtur meliùs propter ſemiplenam probationem, Reum

pœ-

pœna arbitraria punire. Caſu autem quod debeat fieri dicta purgatio hoc modo eſt facienda; Conſtitutus Reus in præſentia Prælati debet per Deum, & per SS. quatuor Euangelia iurare ſe non commiſiſſe delictum, de quo eſt infamatus. *Vt Cap. quoties §. Porro, & §. fin. de purgat. Canon.* Dum facit tale iuramentum debent eſſe præſentes Teſtes probatæ vitæ, qui Reum benè cognoſcentes, debent, & ipſi iurare ſe credere Reum non commiſiſſe tale delictum, *vt in cap. inter ſollicitudines vt ſupra*, & vocantur compurgatores, qui debent eſſe numero, magis, aut minus, iuxtà grauitatem infamiæ, aut iuxtà qualitatem, & fidem ipſorum compurgantium *cap. vt ſupra*. Vndè Innocentius 3. mandauit vni Decano, quod ſe purgaret quatuordecim Compurgatoribus, & vni Epiſcopo, duobus Abbatibus *cap. cum in Iuuentute*. Et iſta purgatio debet fieri in loco publico, ſi publica eſt in-

famia delicti : & hoc modo purgatus, liber per ſententiam Iudicis declaratur ab illa infamia, & ſi ſufficientèr non ſe purgat, debet pœna arbitraria puniri, vt dictum eſt. Vt probat *Simancas de Catholic. Inſtit. tit. 56. n. 13., &* 15. In Cauſis autèm leuibus, ſolo proprio Iuramento Reus purgatur. *Exod. 22. §. ſi quis commendauerit.*

De Sententia Torturæ, & quomodo debeat exequi.

CAP. XVI.

TOrmentum eſt inuita hominis confeſſio, quæ extorquetur à Reis, crimine non plenè probato, ſed tantùm ſemiplena probatione exiſtente.

Eſt in primis aduertendum, quod tormentum non poteſt dari antè publicationem Teſtium, quia an-

antè non poteſt ſciri quid ſit in proceſſu. *In l. geſta Cap. de re iudicata*, & eſt ſententia communis.

Iſte vſus torquendi licet ſit vtilis, & approbatus à iure, & à SS. Patribus, vt prob. *Simancas de Catholic. inſtit. tit. 65.*, non poteſt tamen negari quod ex tali vſu multa ſequantur inconuenientia; quod à multis veritas exprimi non poſſit, & multi, quod non fecerunt dicant. Vt benè obſeruat *Vlpianus l. 1. ff. de queſtion.*, ex quo ſequitur, quod ſæpè Reus abſoluatur, & innocens condemnetur. Loquendo autèm ſolummodò de Religioſis, rariſſimè ſunt torquendi, multa enim debent concurrere, vt ſit licita tortura, quæ ſi non concurrunt Prælatus peccat mortaliter, & remanet excommunicatus.

In primis debet conſtare de delicto, & tali delicto, quod in Tribunali ſæculari puniatur pœna mortis, aut alia grauiſſima, vt habet Communis ſententia apud

Iulium Clarum lib.5. §. 1. verſ. ſunt etiam. Secundo non poteſt dari tortura Reo, qui eſt iam conuinctus, aut confeſſus, quia eſt in remedium veritatis, Antonius Gomez. *tom. 3. variar. Cap. 13. n. 20*, poſſet vero, vt manifeſtaret complices atrocis delicti de quibus dictum eſt cap.10.*Couarruuias in praxi Cap. 23. n.5.* Non poteſt dari tortura, niſi in iudicio plenario ſint probata inditia tàm grauia contra reum, vt perſuadeant, quod ipſe Commiſerit delictum, & ab ipſis non ſe purgauerit, & quibus conſtet pluſquàm ſemiplenè de delicto, colligitur *ex l. in principio, & ex l. fin. de queſt. Farinaccius in praxi tit. 2. q. 37. n. 3.* Si enim inter ſeculares ſufficit ſemiplena probatio, inter Religioſos non ſufficit, vt dictum eſt, vt ſi ad infamiam de delicto additur teſtis ocularis, aut ſi teſti omni exceptione maiori, addatur graue inditium, videlicet fuga Religioſi rei, aut res ſimilis: Hoc autem

in

intelligitur, quando cauſa eſt contrà Religioſum probatæ opinionis, non verò quando eſt Contra Religioſum malæ famæ, quia pro tali non iuuat præſumptio Religioſi ſtatus, & ideò contra ipſum ſufficit ſemiplena probatio ſicut in ſæcularibus.

Similiter ſufficit confeſſio extraiudicialis rei, vt poſſit torqueri, *Gloſſa ſingularis in l. Capite quinto ff. de adulterijs in gloſ. fin. ibi*, & Angelus cum communi DD. debet autem eſſe confeſſio ſpecifica de tali delicto, V. G., quod occiderit Petrum, non generalis, quod hominem occiderit. Vt *Baldus poſt Guillelmum in l. quoniam ff. de his qui not.*, huic tamen Confeſſioni debet coniungi aliquod inditium, de quo Menoch. *lib.* 1. *de præſumpt. q.* 89: Vide cap. 12. de confeſſ. extraiud.

Item ſufficit Scriptura manus ipſius, in qua fateatur ſe commiſiſſe delictum à duobus peritis iudicata pro ſua, etiamſi ipſe Reus il-

illam neget adiuncto tamen aliquo inditio, vt dictum eſt cap. 12.

Fuga ipſius rei, ſi fuit facta antè ipſius accuſationem, aut denuntiationem, eſt vehemens præſumptio, ſi tamen fuga ſecuta ſit immediatè poſt commiſsum delictum, *vt in l. Cornelia* 25. *ff. ad Sen. Conſ. ſillania*; ſi autem citatus ſtatim comparet in iudicio tollit præſumptionem: Si autem fuga committatur poſt inceptam informationem contra Reum, non reſultabit ex ipſa ſufficiens inditium ad torturam, eſt communis. *Leſſius lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 164. Quam probationem faciat videre fugientem cum enſe euaginato, & recenti ſanguine madefacto ex domo, in qua iaceat occiſus, & an ſufficiat ad torturam videatur, quod dictum eſt cap. 12.

Depoſitio complicis in delicto non ſufficit ad torturam, etiamſi deponat vt teſtis, eſt communis *ex Boerio deciſ.* 319. & ita Ius diſponit *l. fin. C. de accuſation.*: Si verò

rò ſint duo complices, & deponunt contra vnnm, aliqui graues Auctores docent quod poſſit ipſi dari tortura, *Vt Iulius Clar. in prax. crimin. §. fin. q. 21. verſ. ſed pone.*

Inter Religioſos tamen, vt ſufficiant dicta duorum, qui fuerunt complices in delicto, etiamſi non ſint infames, periuri, aut inimici, requiritur aliquod inditium contra Reum: Complices enim in ſuis dictis non ſufficere ad torturam etiam inter ſæculares, docent multi; Quia duo imperfecta in ſua ſpecie non poſsunt vnum perfectum facere. Maſcard. *deprobat. t. 3. con. 1313. n. 18. Farinaccius t. 2. q. 43. n. 34.*

In caſu autem, quo Religioſi torqueantur, non debent torqueri inſtrumentis, quibus torquentur ſæculares, ſed ad Summum virgis, & ieiunijs in pane, & aqua. *Vt dicit Ouandus in 4. diſt. 19. pag.* 781. & F Ioſeph à Sancta Maria *in ſuo Tribunali tract. 5. Cap. 3. §. 4;*

ſed quia iſta tortura non eſt efficax in aliquibus induratis, in alijs autem eſt nimis iniurioſa, & Prælatus excedendo in tortura poteſt incurrere pœnam excommunicationis, conſultiùs eſt, ne remaneant delicta impunita, quod puniat, in caſu non plenæ probationis, pœna arbitraria, vt ſupra dicti Auctores docent.

Caſu autem, quo iudicetur neceſsaria tortura, priùs debet dari Reo copia indiciorum, & notitia infamiæ, & ſemiplenæ probationis factæ contra ipſum, vt ſciat, quod ſit obligatus reſpondere veritatem ad interrogationem Iudicis *argum. Tex. in l. poſtulauerit §. Patroni ff. de adulter. Textus in l. Cuſtodias ff. de publico iudicio*. Et eſt ſententia communis, & debet reo determinari tempus, vt reſpondeat ad allegata contra ipſum *Farinaccius tract. de Tortura queſt. 38; & 39. n.* 1. & ſi nihilominus detur ſententia Torturæ & Reus appellauerit de illa, debet

ad-

admitti appellatio *l.* 2. *C. de appellat. recipiend* & ſi Prælatus non admiſsa appellatione mandaret exequi Torturam, & in ipſa Reus fateretur, ipſius confeſſio non valeret. Farinaccius *tom.* 1. *q.* 38. *n.* 17. Hoc tamen intelligitur, quando eſt legitima appellatio; quia ſi conſtaret eſſe friuolam, poterit exequi Tortura *l.* 13. *tit.* 22. *par.* 3. Ius enim de talibus appell. non loquitur; Caſu verò, quo dubitetur an ſit friuola, vel non, debet admitti, Vide Farinac. *vt ſupra* 31.

Tormenta autem non debent dari Religioſis, ſæcularium manibus, ſed à viro Religioſo ab ipſo Prælato deputato, non enim eſt neceſſe, vt ipſemet Prælatus ſuis manibus flagellet ex Priuileg. Alex. 6. Vide *Manuelem tom.* 2. *qq. q.* 19. *art.* 8. Verbera autem debent dari iuxtà grauitatem delicti, & inditiorum, & etiam virium ipſius Rei, & ſine læſione notabili *l. queſtion. modum ff. de*

queſtion. Prælatus autèm debet eſſe benignus. *Vide Ant. Gomez. tom. 3. variar. Cap.* 13. *n.* 5.

Quando Reus verberatur ſit præſens Prælatus, & priùs ipſum paternè moneat, vt veritatem fateatur, & petat ab ipſo iuramentum coram duobus teſtibus, & Notarius quæcumq. dixerit, debet ſcribere; Interrogatio autem debet fieri pro maiori, & in genere. Quis fecerit tale delictum.

Si inter verbera, reus fateretur delictum, poſt viginti quatuor horas, debet factam confeſſionem ratificare coram Prælato, & teſtibus, & non in loco verberationis. *Vide Gomez. tom.* 3. *variar. Cap.* 13. *n.* 14. Si autem nolet ratificare, poteſt iterùm verberari, ſi delictum fuit atrox, ſin minus non. *Vide Alderete de Religioſ. diſciplin. lib.* 1. *c.* 17. *n.* 25. Si reus fuit ſufficienter verberatus, & negauit delictum, per verbera ſufficienter purgantur inditia, quæ fuerunt contra ipſum, & li-

ber

ber debet dimitti. *Farinaccius in Praxi 2. tom. cap. 40. n. 1.* Inter Religioſos tamen, quia tormentum non ſolet eſſeità graue, adhuc poteſt imponi pœna arbitraria ad delenda inditia contra ipſum. ſic. *Pena 2. par. directorij Comment.* 14. Si tamen inditia fuerunt vehementiſſima, & quæ habeant dependentiam proximam cum delicto, & duobus Teſtibus probata, poteſt condemnari, ac ſi plenariè fuiſſet probatum delictum, etiam ſi *Leſſius lib. 2. c. 29. dub. 17. n. 169. Cum Bartolo, Claro,* & alijs dicat, quod erit condemnandus non pœna ordinaria, ſed extraordinaria. Sententia autem torturæ hoc modo poteſt à Notario diſponi. In tali Conuentu die, & menſe &c. Pater Præpoſitus, vel Viſitator Iudex ord., vel delegatus in tali cauſa, quæ agitatur per viam denunciationis, vel accuſationis &c. & per particularem inquiſitionem contra P.N. de tali delicto accu-

ſatum. Viſo proceſſu, & quæ ſunt depoſita, contra ipſum, & quæ ipſe in ſui defenſionem adducit, conſiderans, quod ex dictis non poteſt plenariè conſtare de veritate, & quod delictum eſt atrox, antequam deueniat ad ſententiam, vt ſciatur veritas, mandat, quod dictus P. N. exponatur ad Torturam tali modo &c. Secundum ius, & ſtatuta Religionis; & ità mandat, pronuntiat, & proprio nomine firmat, & Notarius ſubſcribat, qui ſtatim, hanc ſententiam Reo notam faciet, & ſi appellauerit, fiat vt ſupra dictum eſt. Videatur modus verberandi Religioſum Reum, apud *P. Alderete lib. 3. de diſcip. tuenda §. 22. fol.* 185.

De

De ſententijs interloqutorijs, & definitiuis.

CAP. XVII.

SEntentia interloqutoria eſt illa, quæ aliquid ad Cauſam pertinens (ipſa adhuc pendente) obiter decernit, non tamen vniuerſam controuerſiam deffinit. *Vt Cap. ſignificantibus de appell.* Vt E.G., quando Iudex concedit terminos, vel admittit probationes, quas ſententias poteſt idem Iudex reuocare. *l. quod iuſſit de re iudicata*; Sententia verò definitiua eſt illa, qua principalis quæſtio deffinitur *l. 1. ff. de re iudicata cap. 2. extra eod.*, quæ debet eſſe aut abſolutoria, aut condemnatoria *l. difinitiua 2. q. 6.* Totum Ius hoc ſolum intendit, vt iuſtè procedant iſtæ ſententiæ, in quibus pronunciandis Prælati Regulares vltra ius Commune ſpecialiter debent obſeruare ſtatuta Religionis pro-

priæ,

priæ, & ſecundum ea, quæ ſunt probata in proceſſu, & non ſecundùm particularem notitiam, *vt ex cap. 1. Iuncto Cap. laudabilem, de frigid.* ſententiam poſſunt ferre Prælati voce, aut ſcripto, dummodò Notarius regiſtret illam in Proceſſu. *Clementina ſæpè de verb. ſignificat.*: An verò teneantur in ipſa ſententia adducere rationes, & motiua aliqui Auctores affirmant, alij negant. Vide *Farinacc. in Prax. 1. tom. q. 18. à n. 62.* In praxi videtur quod adducantur. Sed non eſt neceſſe, ſicut non eſt neceſſe inter Religioſos concludere Cauſam antè diffinitiuam ſententiam, quia in ipſorum Cauſis proceditur de plano.

Prælati Regulares imponendo pœnas in ſuis ſententijs debent eligere pœnas mitiores ex aſſignatis à iure, vel à proprijs Conſtitutionibus, & decretis *l. quod ſi Epheſi ff. quod certo loco*; Hoc enim æquitas iudicij intendit, niſi aliter exigat grauitas, aut circumſtan-

ſtantia delicti. *Vt l. penultim.*, *&* *fin. ff. de pœnis.* Si aliquando velint moderare pœnas impoſitas à iure, de quibus dicetur infra, debent in ſententia exponere cauſam illius moderationis aliter eſſent puniendi, *Iulius Clarur. q.85. n. 10. &* *ſegura de Aualos 2. par. ſui directorij Cap. 11. n. 5. ſed aduertant*, quod Ius dicit *Cap. Epheſijs diſtinct. 43.*, vbi ait, Prælatus, qui peccantes incorreptos dimittit ipſos occidit immò verò dupplicitèr occidit temporaliter in hoc ſæculo, & æternaliter in futuro. *Et cap. qui vitijs 23. q. 5.* Non eſt miſericors, ſed crudelis, qui vitijs nutriendis parcit, & fouet.

Diſputant Doctores inter ſe, an Iudex inferior poſſit iuſta de Cauſa diſpenſare in pœnis poſitis à Iure, pro arbitrio illas moderando in prolatione ſententiæ; tamen probabile puto quod poſſit, & colligitur *l. Aut facta §. perſona ff. de pænis*, *&* *l. Capitulum §.*

2. *eodem titulo*. & tenet expreſsè *Abbas in cap.* 3. *de pœnis*, *&* *in cap. Niſi*, *de officio delegati*, quem ſequuntur multi Auctores. *Vide Farinaccium par.* 1. *q.* 5. *de Inquiſit. n.* 8. *&* *q.* 17. *art.* 10., & ratio eſt, quia licet Ius prohibeat diſpenſare in legibus Superiorum. *Vt cap. Inferior ſedes* 21. *diſt. l.* 1. *t. de legib.*, hoc intelligitur, quod non poſſit tollere totam vim legis in caſu particulari, Ex. G., quod non poſſit facere, quod quis non remaneat excommunicatus excommunicatione poſita à Iure; non tamen prohibet, quod non poſſit illam tollere. *Vide Manuelem* 1. *tom. q. Regular. q.* 22. *art.* 8. Sciant tamèn quod requiritur non ſolum iuſta Cauſa talis diſpenſationis, ſed etiam, quod diſpenſatio, ſeù moderatio non vertat in damnum publicum: Vndè DD. Communiter docent Principem ſeù Superiorem ſupremum peccare mortaliter non obſeruando leges in damnum publicum,

vn-

vnde non poteſt diſpenſare in pænis debitis atrocibus Criminibus, & Reis facinoroſis, & ſolitis delinquere, quia hoc eſſet in damnum Reipub. & Religionis *vide Nauarr. in rubr. de Inditijs à n. 99.* Cauſæ autèm iuſtæ diſpenſationis aliæ ſunt intrinſecæ, aliæ verò extrinſecæ delicto, primi generis ſunt minoritas ætatis defectus rationis, & ignorantia: ſecundi generis ſunt dignitas perſonæ, beneficia præſtita Reipub., vel Religioni à Reo, vel per ſe ipſum, vel per ſuos maiores.

Quando proceditur per viam particularis Inquiſitionis, & ex officio, etiamſi plenariè probetur delictum, non debet Prælatus imponere pænam ordinariam, ſed mitiorem ſecundum Ius Canon. *Text in Cap. Inquiſitionis in fine de accuſatione*; & ibi notant *Abbas, & Felinus*; ſi tamen etiam in particulari inquiſitione probetur delictum per confeſſionem partis, & delictum ſit notorium, tunc debet

bet imponi pœna ordinaria. *Innocentius in Cap. qualiter, & quando el. 2. de accuſatione, & ibi Abbas 4. col.* Dixi de Iure Canon. quia de Iure Ciuili ſemper eſt imponenda pæna ordinaria. *Vide Antonium Gomez. tom. 3. variar. Cap. 1. n. 51.*

Sacra Congregatio de mandato Sanctiſſimi D. N. Vrbani VIII. mandauit, quod in poſterum nullus profeſſus expellatur à Religione, niſi ſit verè incorrigibilis, & quod nullus talis cenſeatur, niſi non ſolum concurrant in eo omnia ea, quæ Ius requirit, ſed inſuper quod per annum fuerit probatus in carcere in ieiunio, & pœnitentia, & tranſacto anno ſi non reſipuerit poſſit à Religione expelli, quæ expulſio non fiat, niſi à P. Generali de conſenſu ſex Patrum ex grauioribus Religionis deſignatorum in Generali Capitulo, poſt tamèn peractum proceſſum ſecundum ſtilum Religionis, & probatis Cauſis legitimæ ex-

expulſionis; Et ſuperiores, qui aliter fecerint, aut aliquas ex præſcriptis conditionibus non obſeruauerint, priuati ipſo facto remaneant omnium officiorum, vociſquè actiuæ, & paſſiuæ, & perpetuò inhabiles ad ea in poſterùm obtinenda, quam pœnam nullus poſſit relaxare, niſi Romanus Pontifex.

Modus autem pronunciandi ſententiam contra Reum erit ità. Nos N. Præpoſitus, vel Viſitator, aut delegatus in tali, & tali Cauſa &c. conuictus Reus, & ipſi conceſſo tempore ad ſui defenſionem, & per actis omnibus peragendis ſecundùm Ius & Decreta noſtræ Religionis, cum non potuerit ſe defendere, vna cum Aſſeſſore noſtro, attenta grauitate delicti, & ea, quæ ſecundùm Ius Canonicum, & Ciuile, & ſecundùm noſtra ſtatuta meretur, condemnamus eum ad talem, & talem pœnam, vt per eam ſatisfaciat Deo pro commiſſo peccato, & Reli-

gioni pro dato ſcandalo, & in virtute ſanctæ Obedientiæ mandamus Superiori Domus, in qua detinetur in carcere, vt curet omninò exequi, quod mandamus. Datum in noſtra Domo Ciuitatis &c. die, menſe, anno.

Peccat autem mortaliter, Superior, vel Miniſter, qui ſententiam datam non exequitur, vt docent DD. cum ſit in præiuditium boni communis Religionis &c. Debet autem Iudex, & Aſſeſſor datam ſententiam firmare, & Notarius de illa dare fidem ab ipſo etiam firmatam &c.

De appellatione, & an ſit licita inter Religioſos.

CAP. XVIII.

APpellatio eſt prouocatio cauſæ à minori ad Superiorem Iudicem ratione illati, vel inferendi grauaminis, qua iniquitas ſen-

ſententiæ corrigitur, & interim poteſtas Iudicis ſuſpenditur. Vt colligitur *ex Cap. omnis oppreſſus.* Habet ergò duos effectus; deuolutionem ſcilicet,& ſuſpenſionem; per appellationem enim deuoluitur cauſa à Iudice ordinario ad Superiorem, vt colligitur *Cap. per tuas de ſentent. Excommunic.*, & ſuſpenditur Iuriſdictio Iudicis Ordinarij, vt quidquid attentauerit contra Reum, ſit nullum *Vt l. minime C. de appellat.*, & alibi. Propria defenſio, quæ includit appellationem eſt de Iure naturæ, modus autem appellandi eſt de Iure poſitiuo *l. Vnica C. de ſententia Præfect. Prætor.* &ità Princeps, vel Prælatus Superior, qui videt Prælatum inferiorem iuſtè procedere in cauſa, poteſt tollere appellationem factam. *Ità Abbas in cap. Paſtoralis, num. 12. de appellat.*

Licita autem eſt appellatio, quando Reus à Iudicis ſententia, aut habuit, aut timet grauamen iniu-

iniuſtum, aut ſaltem dubitat, quod ei ſit factum grauamen, vt Cap, *omnis oppreſſus*, & *cap. licet* 2. *q*. 6. Reus verò cognoſcens iuſtam ſententiam contra ſe factam peccat mortaliter ſi appellat. *Ità D. Thom*. 2. 2. *q*. 69 *art*. 3. & communiter quia iudicem infamat tamquam iniuſtum.

Aliqui docent, *vt Ledeſma in ſumma tom*. 2. *tract*. 8. *Cap*. 24. *Con*. 8. *Villalobos tom*. 2. *tract*. 16. *diffic*. 8. *n*. 4., quod quando Iudex pro data ſententia vſus eſt opinione probabili, relicta contraria opinione adhuc probabiliori, quod Reus non poſſit appellare, quia ſic nunquam cauſæ haberent finem; Contrarium tamen docent *Turrianus* 2. 2. *tom*. 2. *diſp*. 51. *dub*. 1. *n*. 4. *Diana* 2. *par. tract*. 5. *Miſcell. reſolut*. 104. quia opinio probabilis debet fauere propriæ defenſioni.

Quandò Reus appellat iniuſtè, aut ex læui motiuo, non debet

admitti appellatio *Cap. quicumque cap. omnino 2. q. 6.* & ſic Prælatus poteſt procedere ad executionem ſuæ ſententiæ. Ità *Innocentius in cap. Paſtoralis §. Prætereà de offic. delegat.* & loquendo ſpecialitèr de Regularibus hoc idem docent, Decius *Cap. 3. n. 29. de appellat. Marantha in ſpec. 6. par. actu principali n. 183. Boerius deciſ. 284. n. 24. Menochius de arbitr. lib. 1. q. 70. n. 20;* quia Iudici, qui tulit ſententiam, ſpectat iudicare, an ſit iuſta appellatio, vel non *ex Gloſſa in cap. Vt debitus honor, ver. rationabilis Cauſa, de appellat. & Decius in cap. de priore n. 3. de appellatione;* Debet tamèn Iudex, vel Prælatus conſulere cum viris Doctis motiua appellationis, & ſi iuſta non probentur, procedere in ſua Cauſa, vt dictum eſt. *Videatur P. Alderete de Religioſa diſcipl. cap. 18. lib. 2. n. 28.*: Si autèm iuſta fuerint iudicata motiua appellationis peccat mortaliter Iudex, vel Prælatus, ipſam non admitten-

do, quando debet admittere. *Ità Nauarrus in Manual. Cap.* 23. *n.* 13. 14. 15. Appellatio autèm debet à Reo interponi intrà decem dies à notificatione datæ ſententiæ in foro Eccleſiaſtico *Text. in auth. de appell. Collat.* 2. In foro autem ſæculari intra quinque dies debet interponi *l.* 1. *tit.* 18. *lib.* 4. *recopil.*, & ſi intrà dictum terminum non fit appellatio, ſententia debet exequi, quia ſupponendum eſt Reum ſuo iuri ceſſiſſe *l. quandiù in fine ff. de acquirenda hereditate*, niſi obſtet aliquid in Reo, vt minoritas ætatis &c. *iuxtà titulum ff. de minori: per totum.*

Religioſis non eſt licitum appellare à correctionibus, pœnitentijs, & mandatis Superiorum, pertinentibus ad Regularem obſeruantiam, & perfectionem ſtatus Religioſi. *Cap. reprehenſibilis.* vbi Pontifex ita mandat. Præcipuè verò hoc in Religioſis volumus obſeruari, ne ipſi cum pro aliquo exceſſu fuerint corrigendi,

con-

contra Regularem Prælati ſui, & Capituli diſciplinam appellare præſumant, ſed humiliter, ac deuotè ſuſcipiant, quod pro ſalute ſua fuerit eiſdem iniunctum: Hoc autem intelligitur, quando non eſt exceſsus in correctione, & pœnis, quod raró contingit; tunc enim literis poteſt Religioſus ad Superiorem maiorem recurrere: Appellatione autem nunquam, vt conceſſit Bonifacius 8., & Sixtus 4. Carmelitanis, & Auguſtinianis, & Iulius 2. Dominicanis; hoc enim etiam interdicunt noſtra Decreta, *par.* 3. *cap* 9. *n.* 1.

In Cauſis autem grauioribus, in quibus Prælatus iudicialiter Sententiam aliquam pronunciauit Contra reum, poteſt reus recurrere ad Prælatum Superiorem ſi habet iuſtam Cauſam, non per modum appellationis, ſed per modum deuolutionis, & ſuſpenſionis, quo tamen Caſu Prælatus inferior poteſt ſuam exequi ſententiam, vel proſequi ſuam Cau-

ſam donec à Prælato Superiore, ſuſpendatur ei facultas, & cauſam ad ſe deuoluat. Caſu autem quo iniuſtè reus recurrat licet ipſe, peccet, vt dictum eſt ſupra; pòteſt tamen Prælatus ſupradictum admittere recurſum, & ad ſe deuoluere cauſam vt clarius appareat iuſtitia ſuorum Prælatorum. Videatur *Fr. Ioſeph de S. Maria tract.5.cap.* 11.

De pœnis imponendis iuxta Ius Canonicum, & Noſtræ Religionis Decreta.

CAP. XIX.

POena eſt læſio, quæ punit, & vindicat, quod quis commiſit delictum *Cap. de Pœnitentia diſtinct.3.* Vt pęna imponatur debet Prælatus recognoſcere, an culpa fuerit commiſſa ex malitia, aut ex ſimplicitate, vel ignorantia

tia probabili, quæ enim ſimplicitate, vel ignorantia committuntur non ſolum à pęna, ſed etiam à culpa excuſantur. *ſic Nauarrus lib. 5. conſ. tit. de ſententia excommunicationis conſil. 28.* & alij.

Quando eſt imponenda pœna arbitraria debet metiri cum culpa *Cap. Fælicis verſ. illud autem de pœnis in 6.* ibi Iudex pœnam metiatur ex culpa. Vnde Iudex poteſt extendere pænam ordinariam etiam à iure poſitam, quando aliquæ particulares circumſtantiæ malitiæ aggrauant crimen. *Textus in l. hodiè ff. de pœnis.*

Aliqui Auctores opinantur, quod crimen intentatum, licet non commiſſum, quia non potuit, pari pæna debeat puniri, & colligunt *ex l. Is qui cum telo C. ad l. Corneliam de Sicarijs*. Hoc tamèn licet ſit verum de criminibus atrocibus, de quibus ſpecialiter loquitur Ius, *vt de ſollicitatione facta in confeſſione*, & alijs In reliquis delictis, de quibus Ius non loqui-

tur, non eſt imponenda æqualis pæna Sic. *Farinaccius in prax. tom.* 1. *q.* 17. *n.* 49. *Emanuel Barboſ. ad ordinat. luſitanas lib.* 5. *tit.* 18. *§.* 2. *n.* 1. aggrauatur enim delictum intentatum, & commiſſum ex illato damno.

Duo genera pęnarum aſſignata ſunt in noſtris Decretis Capit. Gener. 3. *par. cap.* 9. leues quas poteſt imponere Præpoſitus, vel Superior tranſgreſſoribus leuium noſtrarum Conſtitutionum, Decretorum, & Superiorum mandatorum; quas videre eſt *ibi. n.* 1. & pænę graues determinatæ ibi *n.* 2. quas Præpoſitus, vel Superior eo abſente, cum Capitulo Domus debet imponere. Et ſi delictum ſit perpetratum per menſem antè Viſitationem illius Domus. Præpoſitus cum Viſitatoribus poterit imponere, à quibus non poteſt dari appellatio; Hæ autèm pænæ duplici via poſſunt imponi, vel iudicialiter. vel regulariter abſque proceſſu facti

tan-

tantum veritate inſpecta, & reo audito, vt ſi quid habet in ſui defenſionem exprimat. An autem delictum ſit iudicialitèr, vel regularitèr puniendum Prælato, vel Superiori ſpectat determinarè, & non Reo. *Ità noſter Alex. Pellegrinus coment. Noſt. Conſtitut. in Procmio* §. 16. & citat auctores, niſi delictum ſit adeo graue quod de iure iudicialiter cauſa ſit terminanda. Si iudicium ſit inceptum iudicialiter cum Aſſeſſore, & voto Capituli Domus, & in progreſſu Cauſæ Colligatur delictum non eſſe tale, vt mereatur reus puniri pæna iudiciali, debet iudicialitèr terminari cauſa, imponendo reo aliquam pænam regularem pro qualitate culpæ. Si verò inceptum eſt regularitèr cum voto Capituli Domus, & in progreſſu informationis detegatur delictum eſſe graue, & proindè iudicialitèr puniendum poteſt Præpoſitus cum conſenſu Capituli, & conſilio Aſſeſſoris iudicia-

cialiter formare proceſſum, & iudicialiter cauſam terminare, nam Iudex iuxta probata ſe regulare debet *l. Illud de officiò Præſidis l. res aliena C. de rei vindicat.*

Culpæ autem, quæ inter Religioſos reputantur graues, vt apparet in *Conſtitut. Ord. Prædicator. diſt.* 1. *c.* 17. *tit. de graui culpa, & Cap.* 18. *eodem titulo* ſunt.

Si quis cum aliquo grauitèr contempſerit, vel opprobrium, vel iniuriam dixerit.

Si quis murmuret, vel detractet de Patribus, & fratribus, & multò magis de Superioribus etiam finito officio.

Si quis mendacium pernicioſum de induſtria Prælato, vel alteri dixerit.

Si quis per contumaciam, vel manifeſtam rebellionem inobediens Prælato ſuo extiterit, vel proteruè contemnere auſus fuerit

Si quis leuitèr percuſſerit fratrem.

Si quis inhoneſtatis grauem

ſuſ-

ſuſpicionem dederit, & aliæ ſimiles. *Ex Pellegrino vt ſupra §.9.*

A iure autèm Canonico pro grauioribus exceſſibus aſſignantur pænæ. Clericus inceſtuoſus habet penam depoſitionis, *argum. Cap. tuæ de pænis Gloſ. in cap. Maximianus* 81. *diſt*; & Adulter perpetuo item deponitur, & per decem annos in ieiunijs caſtigatur *Cap. Præsbiter* 81. *diſt. Cap. ſi quis clericus* 81. *diſt.* Inobediens qui tribus vicibus in vno die admonitus fuerit contumax, excommunicatur *cap. abſit* 11. *q.*3. & ſi fuerit incorrigibilis in non obediendo deponitur, & bracchio Seculari traditur. *Cap. ſi quis Sacerdotum* 11. *q.* 1. Apoſtata declaratur excommunicatus à Prælato per vnum menſem ſingulis fer. 6. & ſi ad Religionem redierit publicè eſt abſoluendus, & per 6. menſes in carcere includitur, & ſingulis fer. 6. in publico Refectorio culpam fateri in pane; & aqua ieiunare, & diſciplinam facere.

Si fuerit prima fuga; Si verò fuerit ſecunda per integrum annum eandem pænitentiam faciat, priuatus voce actiua, & paſſiua per id tempus, & poſtea per 6. annos locum profeſſionis perdet, & in vltimo loco ſui ordinis ſedet. Videlicet poſt omnes Sacerdotes ſi fuerit Sacerdos. Si verò habitum depoſuerit per decem annos dictam faciet pœnitentiam. Si autem fuerit tertia fuga ſupradictis pænis puniatur, & inſuper pro incorrigibili habeatur, & perpetuò inhabilis, & priuatus voce actiua, & paſſiua, nec poſſit diſpenſari.

Si intra menſem primæ Apoſtaſiæ fuerit reuerſus, mitius tractetur. Hæc ſecundum ſtatuta ordinis S. Franciſci de obſer: ſecundum verò ius Canonicum. Videatur Cap. à nobis de Apoſtatis. Cap. mandamus 19. quæſt. 3.

De Cæteris pænis Reorum, quia ſtatuta noſtræ Congregationis nihil determinant, Iudex Re-

gu-

gularis ſe conformabit Iuri Canonico, & communi, vt docet Ghiſlerius de Iudice Regularium *Cap.* 13. *n.* 12. his verbis. Regulares iuxta eorum conſuetudines approbatas, & generalia ſtatuta facta, et faciēda corrigi quidem debent, & puniri, & in illis, quæ in huiuſmodi minimè reperiuntur Ius Commune in eorum Iudicijs peragendis obſeruandum erit, ità ſubiungit *n.* 13.

In his ergò Caſibus videantur auctores, præſertìm Carolus Antonius Theſaurus de pænis Canonicis, & Eccleſiaſticis, Sanctorus à Melphi Franciſcanus de pænis Regularium, aut alij eiuſdem generis. Deus tamèn accertat à noſtra Congregatione, talium, pænarum occaſionem, & Sanctiſſimi ſui Nominis timorem paritèr, & amorem infundat. Amen.

Praxis, ſeu Proceſſus formatus ſuper dilecto particulari percuſſionis Religioſi.

LIcet in quacunque Religione adſit Regula, vt iuris ordine relicto, tractentur Regularium cauſæ de qua Re *Foller. in pract. Canon. cap.* 36. *n.* 20. ea tamen quæ eſſentialia ſunt, & quæ ſine nullitate, & peccato omitti non poſſunt in proceſſibus ſunt ſeruanda, quia ſunt iuris diuini, naturalis, vel gentium *Megal. in prax. canon. cirmin. Cap.* 9. *n.* 12, & hæc ſant corpus delicti, ſiue delictum in genere, litis conteſtatio, citatio ad videndum, iurare teſtes ſaltem in repetitione, probationes pro fiſco, defenſiones pro Reo, citatio ad dicendum ante ſententiam, citatio ad audiendum ſententiam, quæ ſolet fieri etiam vnitim cum præcedenti, & vltimo loco ſententia ipſa *Megal. ibi,*

&

& n. 12. *vſque ad* 18. hæc autem omnia quoad fieri poteſt, debent ſecrete fieri ad vitandum populi ſcandalum: *cap. in Scripturis.* 96. *diſt. c. Sacerdotibus* 11. *q.* 1. ergo

Si per viam accuſationis procedatur.
Forma accuſationis.

EXponit Pater N. Religioſus profeſſus huius domus Sancti N. coram R.P. Præpoſito illius hac die 15. Martii 1678. in Dormitorio dictæ domus fuiſſe grauiter percuſſum baculo in capite, ſiue in ſcapulis à Fr. N. qui diabolico animo ductus tale facinus commiſit, & quia impunitum remanere non debet, ideo non ex odio, rancore, vel inimicitia, ſed pro Zelo iuſtitiæ, & publico bono inſtat de eo informationem capi, & conſtita veritate procedi contra eundem ad debitam punitionem, & ad declarationem excom-

municationis incurſæ contentæ in Can. *Si quis ſuadent* 17.*q*. 4., & ita dicit omni meliori modo.

Ego idem Pater N. ſubſcripſi propria manu: ſi accuſans neſciat ſcribere. dicat cum Pater, vel Fr accuſans ſcribere neſciat, cruce ſignauit † Teſtes informati prædictorum verberum ſunt. N. N. N. N.

Et per R. P. Præpoſitum viſa inſtantia ſupradicta fuit dictum, quod ſuper ea capiatur informatio, ad effectum, & ita &c.

N.N. Præpoſitus

N.N. Aſſeſſor

Prouiſum die 15. Menſis Martij 1678. in Domo Sancti N. & in fidem N. N. Actuarius.

SI vero per denuntiationem, ita concipiatur inſtantia. Pater N. Religioſus huius domus Sancti N. denuntiat vobis R. P.

Præ-

Præpoſito eiuſdem, Deum præ oculis habendo, & pro ſolo Zelo iuſtitiæ, qualiter Frat. N. hac die, quæ eſt 15. Martij 1678, in Dormitorio pluribus baculi ictibus percuſſit Patrem N. huius Religionis profeſſum audacter, grauiter, & cum ſcandalo &c. ad finem ergo, vt prouideatis bono Religionis, & animæ ipſius frat. N. modo, quo expedit; expoſcitorum veritas haberi poterit a P. N. & P.N. teſtibus de ea informatis omni modo meliori &c.

Ego P. N. propria manu.

Et fit decretatio vt ſupra, cum loco, die, menſe, anno, & cum ſubſcriptione Superioris, Aſſeſſoris, & Actuarij

Si pro delicto commiſſo Præpoſitus Generalis vult delegare commiſſarium ei expediuntur litteræ delegatoriæ modo infraſcripto.

D. N. Præpoſitus Generalis C.R. dilecto P. D.N. Salutem.

CVm nobis delatum fuerit Patrem N. Religioſum, profeſſum noſtræ Religionis fuiſſe verberibus affectum, & percuſſum, propterea de tua peritia, prudentia, & integritate confiſi tibi committimus, & mandamus, vt contra culpabilem diligenter informationem capias; & ſeruatis de iure ſeruandis in cauſa procedas vſque ad ſententiam incluſiue etiam per remedia cænſurarum, dantes tibi vices,& voces noſtras, & in fidem: Datum Romæ ex ædibus S. Silueſtri in Monte Quirinali die 10. Aprilis 1678.

D. N. Præpoſitus Generalis Cleric. Reg.

N. N. Secretarius.

For-

Forma examinis principalis accuſantis.

DIe. Menſe. Anno. in Ciuitate N. coram R.P.Præpoſito, meque actuario &c. In Valetudinario Domus. examinatus fuit Pater N. principalis offenſus Sacerdos noſtræ Religionis, & profeſſus. ætatis ſuæ annorum 30. cui delato iuramento de veritate dicenda, e per ipſum Sacris Scripturis ſuſcepto, iurauit &c. & pro &c

Interrogatus, qua de cauſa reperiatur iacens in lecto?

Reſp. Io Padre Prepoſito, perche ſono ſtato maltrattato di baſtonate dal fratello N. grauemente a tal ſegno che mi ſento male, ſto in queſto letto.

Et ſibi dicto, quod recenſeat factum maletractationis prædictæ a principio vſque ad finem cum ſuis circumſtantijs, & qualitatibus,

Re-

Reſpondit. Stando io hieri nel dormitorio, che fu alli 15. del corrente meſe di Marzo 1678. verſo le 20. hore per fatti miei dicendomi certe diuotioni, mi aſſalì il detto frat. N. con vn baſtone di legno che teneua nelle mani, & mi diede varij colpi con detto baſtone nella mia perſona, e proprio nelle Spalle, è nella teſta con tal violenza, ehe io caddi a terra, e ſe non era che vennero li P. P. N. N. e N. N. e me lo tolſero di ſopra, m' haueria battuto più, e queſta è la verità del d. fatto.

Interrogatus de cauſa prædictorum verberum

Reſpondit il ſudetto fratello non haueua cauſa neſſuna di baſtonarmi, perche io non li haueuo fatto niente, e ſolo hà fatto mala aprenſione di me, ſupponendo per quanto mi diſſe, che io l' haueſſi accuſato a V. P. R. perche era vſcito contr' hora, e ſenza Compagno li giorni paſſati

Et dicto ſibi, an de præmiſſis

ac-

accuſationem expromat.

Reſpondit Io li ho eſpoſto querela in ſcritto, & adeſſo la conſermo, e fo inſtanza per il caſtigo

Quibus habitis ſe ſubſcripſit, vt infra.

IO Don. N. ho depoſto come di ſopra

Forma deſcribendi ſigna, & contuſiones verbera.

EGo N. N. Actuarius. ſtando in eodem loco denudari feci prædicto P. D. N. inſtanti caput, & ſcapulas, quas partes denudatas vidi & obſeruaui diligenter, & in eis inueni varias liuiduras, & contuſiones, quæ apparent eſſe de recenti factas cum baculo, vel alio inſtrumento contundente præſentibus, pro teſtibus N.N. & N.N. ad hæc vocatis, & in fidem. Datum N. Ciuit. in domo Sancti N. die 16. Menſis

Mar-

Martij 1678.

N.N. Actuarius

Si adſit vſus citandi teſtes, concipiatur citatio ſub hac forma D. N. Præpoſitus Domus Sancti N. vel Commiſſarius à Reuerendiſſimo Patre Generali delegatus.

INſtante parte &c. citentur ſubſcripti teſtes, quatenus ſub pæna excommunicationis prima die cum continuatione &c. perſonaliter comparеant coram nobis, eorum teſtimonium veritatis dicturi, ſuper quibus interrogabuntur Dei, & iuſtitiæ ſeruitium tangentibus alias &c. quoniam &c. & referatur. Datum. N.Ciuit. in domo S.N.die,menſe,anno Nomina teſtium N.N. & N.N.

Don N. Præpoſitus.

N.N. Actuarius.

Forma relationis executoris.

DIe. Menſe. Anno. in Domo Sancti N. Frater N. N. retulit mihi cum iuramento ſe citaſſe perſonaliter ſupradictos teſtes modo, & forma, &c. & in fidem &c.

N·N. Actuarius.

Si vero non adſit vſus citandi, ſufficit, vt vocentur, & de vocatione fiat mentio, vt ſupra:

Methodus examinandi peritos ſuper corpore delicti, qui debent eſſe duo ſaltem.

DIe, Menſe, anno in Domo Sancti N. coram R· P. Præpoſito meque Actuario.

Vocatus, & examinatus fuit N. N. Ciuitatis N. Chirurgus, ſeu practicus in Chirurgia, habitans in Domibus N. N. in tali loco, ætatis ſuæ annorum 40. in circa, qui delato ſibi iuramento ve-

veritatis dicendæ,prout tactis &c. iurauit, & ad opportunas interrogationes &c.

Reſpondit Io hoggi per ordine del R. P. Prepoſito ſono andato all' Infermaria di queſta caſa, o in vna camera del Dormitorio di queſta caſa, & ho trouato giacente nel letto il P. D. N. N. quale io conoſceua prima, e ſe non lo conoſceua, dica, ho trouato vn Padre, quale inteſi, che ſi faceua chiamare D. N.N. & hauendoli fatto ſcoprire il capo, e le ſpalle, perche ſi lamentaua di hauerci male, ho viſto, & oſſeruato tanto nel detto ſuo capo, come nelle ſue ſpalle alcune liuidure di figura lunga con tumore, e giudico ſijno fatte da inſtrumento contudente con violenza, e ſono pericoloſe, particolarmente quella della teſta, ò di morte, ò di reſtar offeſo al cerebro, e tanto depongo per la verità, come perito, e pratico nella Chirurgia, nella quale oſſeruatione v'è ſtato

an-

anco il N. N. Chirurgo.

Io N. N. ho depoſto, vt ſupra,

Quando non poſſunt haberi Chirurgi adhibeantur duo barbitonſores, pro dicta recognitione.

SEcundus Chirurgus, aut barbitonſor examinabitur eodem modo cum aliqua mutatione verborum facientium eundem ſenſum

Si delictum non relinquat veſtigia poſt ſe, quia eſt facti tranſeuntis, vt ſunt percuſſiones, quæ fiunt alapa, pugno ſine liuore, iniuriæ verbales, & ſimilia, tunc ſufficiunt inditia, & coniecturæ ad faciendum conſtare de corpore delicti vt dictum eſt cap. 12. de Inditijs, & porrecta accuſatione poteſt Iudex inquirere contra delinquentem 5. *Clarus in 5. fin. q.4. n. 3.*

Mo-

Modus examinandi teſtes ſuper delicto in ſpecie.

DIe. Menſe. anno. in Ciuit. in ædibus Sancti N., & coram R.P, Præpoſito meque &c.

Examinatus fuit P. N. N. Religioſus profeſſus noſtri ordinis, teſtis vocatus, vel citatus, ſi fuerit citatus, ætatis ſuæ annorum 42. cui delato iuramento veritatis dicendæ, & per ipſum ſuſcepto tactis Sacris ſcripturis, iurauit &c. & primo

Interrogatus ad quid agendum venerit!

Reſpondit io ſono venuto per obedire a voi R. P. Prepoſito che m'hauete fatto chiamare.

Interrogatus an ſciat cauſam ſuæ vocationis, vel ſaltem illam præſumat!

Reſpondit io non ſo la cauſa della mia chiamata, ma m'imagino, che ſij per le baſtonate date dal frat. N. N. al Padre N. N.

Et

Et dicto ſibi. vt recenſeat factum prædictorum verberum a principio vſq; ad finem cum ſuis circumſtantijs, & qualitatibus!

